



10  
den

I

5

CV<sup>o</sup> 35

Zum Wohlwille der Königl. Hochschule  
München in der Hauptstadt.

43  
DISPVATIO THEOLOGICA  
DE  
CHRISTO REDEMTORE  
MAXIME ISRAËLITARVM

QVAM  
PRAESIDE  
GEORGIO HENRICO  
RIBOVIO

SS. THEOLOGIAE DOCTORE EIVSDEM ET PHILO-  
SOPHIAE MORALIS ATQVE CIVILIS P. P. O. SERE-  
NISSIMAE ET REVERENDISSIMAE ANTISTITAE  
QVEDLINBVRGENSIS A CONSILIIIS ECCLESIASTICIS  
ET ECCLESIA RV M IN CIVITATE ET DIOECESI

GOTTINGENSI SVPERINTENDENTE

PVBlicAE DISQVVSITIONI SVBICIET  
AVCTOR RESPONDENS

GEORGIVS POORTEN

RIGA-LIVONVS, SS. THEOLOG. CVLTOR  
REGIAE SOCIET. TEVTON. GOTTING. SODALIS  
AD D. XIX. OCTOBR. CLV. IS. CCLIV.

---

GOTTINGAE  
TYPIS PAVL. CHRISTOPH. HAGER. ACAD. TYPOGR.



DISPUTATIO THEOLOGICA  
DE  
CHRISTO REDENTORE  
MAXIMÆ AELIARVM  
IN  
GEORGIO HENRICO  
RIBOVIO

RE THEOLOGICAE DOCTORIS HENRICI DE TRIN-  
COENAE HOLLANDIAE CIVIS HOLLANDIAE  
NIDIMANENSIS THEOLOGICAE FACULTATIS  
RECTORIS HONORIS CAUSA  
ET THEOLOGICAE FACULTATIS DOCTORIS  
GEORGII HENRICI RIBOVII

PUBLICE DEFENSURUS  
IN  
GEORGIO BOERTEN

GEORGIO BOERTEN  
THEOLOGICAE FACULTATIS DOCTOR



GRAVISSIMO ET SANCTISSIMO  
INCLYTAE CIVITATIS IMPERATORIAE RIGENSIS  
SENATVI  
VIRIS

ILLVSTRIBVS GENEROSISSIMIS  
PRAENOBILISSIMIS EXCELLENTISSIMIS  
CONSVLTISSIMIS PRVDENTISSIMIS

DOMINIS  
CONSVLIBVS  
SENATORIBVS

SECRETARIIS  
PATRIAE PATRIBVS CONSCRIPTIS  
LIBERTATIS SALVTISQVE PVBLICAE  
DEFENSORIBVS PROPVGNATORIBVS CVRATORIBVS  
MVSARVM FAVTORIBVS DIGNISSIMIS  
IVSTITIAE SACERDOTIBVS

ATQVE  
MAECENATIBVS  
SAECVLVM HOCCE  
DOCTRINARVM SPLENDORE AC LVMINE  
ILLVSTRANTIBVS  
OMNIA HONORVM ORNAMENTA  
GLORIAE MONVMENTA  
AC LAVDIS INSIGNIA

CONDIT ET COLLOCAT  
**DOMINIS PATRONIS**

AC FORTVNAE AMPLIFICATORIBVS

OPTIMIS

QVOS PARI PIETATIS STVDIO

ATQVE EADEM VOLVNTATE

QVA PARENTES ET OBSERVAT ET DILIGIT

SANCTISSIME COLIT AC PROSEQVITVR

(EST ENIM NULLVM HONORIS GENVS EXIMIVM

ADEO ITA EDITO IN LOCO SITVM

QVOD NON SVMMIS ILLORVM VIRTVTIBVS

DEBERI EXISTIMET)

II SDEM QVE

FELICITATEM OMNI ANIMI RELIGIONE

ADPRECATVS VBERRIMAM

HANCCE EXERCITATIONEM

VETERVM CLIENTVM MORE

D. D. D.

OBSTRACTISSIMVS

G. POORTEN.



§. I.

**C**hristum humani generis redemptorem esse inter eos, qui ipsius nomen profitentur, in quaestione versari non debet. Sacrae enim litterae lucida & aperta testimonia perhibent, quibus illud cogitur atque efficitur. Idque probari solet nominibus, Salvatoris munus designantibus, in quibus vocabulum *h̄n̄* commemoratur, utpote quo Messias insignitus sit Gen. C. XLII. v. 16. Iobi XIX. v. 25. & in hoc loco & alibi a Vulgato interprete *redemptoris* dictione exprimitur. Videntur mihi, qui inde argumentum ducunt, sic calculos posuisse: Christum redemptorem esse aliunde constat. Neque obscurum est, non nisi unicum esse redemptorem. Idcirco ubicunque nomen redemptoris legitur, ibi habemus Christum. Iam vero in locis excitatis occurrit nomen *h̄n̄ redemptoris*. Ergo ibi habemus etiam Christum. Ergo ex illis ad intelligendum facile est, Christum esse generis humani redemptorem. Sed fallit argumentatio. Rem exemplo

A

admo-

admodum affini docebo. Christum Salvatorem esse, testatum habemus. Non nisi vnicum Salvatorem pie veneramur. Vbicunque igitur, Salvatoris, vel Seruatoris, mentio facta est, ibidem Christum inuenire licet. Ergo istiusmodi dicta omnia de Christo interpretanda sunt, quae de Seruatore loquuntur. Argumentationis conclusionem falsitatis arguunt bene multa S. S. effata, in quibus Deo *δυσωδῶς* spectato, vel etiam, Deo Patri, *Seruatoris* nomen attribuitur. In re admodum nota probatione superfedere, nobis integrum erit. Quocirca imitando argumenti istius rationem id, quod falsum est, cogitur. Hoc ad probandum satis est, vitio laborare subductionem, quam modo exposuimus. Vnde nam vero illud in argumentationem istam irrepit? Aequiuocatio, si quaeris, quae saepius errorum genetrix est, in causa est, cur haec concludendi ratio a vero aberret. *Redemptoris* nomen ex iis est, quibus vna plures notiones subiectae sunt. Ideo ante omnia constituendum est, qua significatione vocem vsurpare placeat. Nobis redemptor generatim dicitur is, qui soluto pretio aliquem ex seruitute in libertatem vindicat. Hac finitione contenti erunt sanctioris disciplinae consulti, qui hic verum vident. Ad actum enim formalem redemptionis pretium datum refertur. Est illa congrua vsui in sanctiore disciplina recepto, id quod ad eam defendendam facit; inprimis, cum vox ad Ecclesiasticum vsum spectet. Neque ab originatione abhorret, cum *redemptor* a *redimo*, quod verbum idem significat, acque *re* & *emo*, descendat; atque emtionis venditionis contractus repraesentatione pretii rei emtae perficiatur. Accedit quod *redimendi* vocabulum cum derivatis



vatis apud Latinos Scriptores, partim eadem significatione, qua denotat captiuum vinculis pretio impenso expedire, partim illa, qua mercede proposita aliquid acquiritur, vsu venire solet. Auctoritates, quibus id, quod contendimus, periuincitur, apud Lexicographos, vt vocant, sermonis latini repertu difficiles non sunt, quos exscribere in praesenti nec libet, nec vacat.

§. II.

Quin potius nobis iam deueniendum ad argumentum ipsum, quod a Goëlis nomine, Christo assignato, pro demonstrando generis humani redemptore repetitur, & a iudicii trutina non ab re suspendendum est. Nam etsi interpres Chaldaeus hoc quicquid nominis est per *רפוי* *redemptorem*, Targum Hoseae I. v. 7. Graecus vero *λυτρωτή* & Latinus vulgatus *redemptoris* vocabulo exprimat; & *חנא* apud Hebraeos designet, *propinquum*, vel *cognatum*, quem *fratris*, aut *proximi cognati res venditas redimere*, eundem captiuum liberare, interfectum vindicare, vel *ulcisci* & *defuncti uxorem ducere oportebat*; (a) atque ipsi Iudaei Messiae titulum *חנא* adscribere non dubitent (b), immo suae gentis

(a) Vide, quae EDMUNDVS CASTELLVS in Lexico Heptaglotto, EDWARDVS LEIGH in Critica sacra, vtrouique sub voce *חנא* SALOMON GLASSIVS in oratione de linguae Hebraeae necessitate & vtilitate p. 336 Phil. SACR. IACOBVS GOVSSSETIVS

in comment. linguae Hebr. ad hanc vocem atque IOANNES IACOBVS CRAMERVS in Theol. Israelit. Lib. III. c. 1. de Goële partim breuibis, partim copiosius, edisseruerunt. (b) *Sohar chadafeb* f. 83. ad Genes. XLII. v. 16. & fol. 38. ad

tis Goëlem ipsius typum faciant (a) & Goëlem duplicem, alium *פרימא* priorem Moſen, *פרימא* posteriorem, *Chriſtum*, alium conſtituant (b): res tamen omnis nondum confecta & in eum locum deducta eſt, quo deduci debebat, nequa refragrandi libidini aliorum & animo veri cupido addubitandi ratio relinquatur. Etenim, quod primum monco, ab appellatione Goëlis ad Chriſtum argumentari propterea minus tutum eſt, quod Deus, *ουσιωδως* ſpectatus, eodem nomine in ſacris litteris veniat. Quorſum ſpectant Pf. XIX. v. 15. Pf. LXXIV. v. 2. & Pf. LXXIII. v. 39. Eſaiæ C. XLIII. v. 14. XLVII. v. 4. Idcirco quaefitio exiſtit, vtrum in dictis locis iſtud Goëlis vocabulum de Meſſia, an de Deo *ουσιωδως* ſpectato, interpretandum ſit. Iacobus Gen. XLIX. v. 15. 16. in eo erat, vt duobus ex dilectiſſimo filio, Iosepho, nepotibus bene ominaretur. Ideo Deum, coram quo Patres ipſius, Abrahamus, & Iſaacus ambulauerant & qui ipſum pauerat & *Angelum*, qui ipſum liberauerat ab *omni malo*, inuocat, vt volens propitius eis eſſet. Sunt non ſpernendi ſacrarum litterarum interpretes, qui, quod grata mente pius Senex de Angelo liberatore commemorat; ad Deum Patrem referunt; in quibus annumerandus eſt IOANNES COCCIVS (c), cuius *σχόλιον* repraeſentabimus; *Inuocat*, inquit, *Deum*, coram quo *Patres ambulauerunt*,

Deum

ad Pfalm XIX. v. 15. *Breschith rabba* Sect. 85. Conferatur CHRISTIANVS SCHOETTGENIVS *Hor. Hebr. & Talmud. T. II. Lib. I. p. 14.* & alibi.

(a) *Bechai* ad Leuit. XXV. v.

48. fol. 249. 4.

(b) *Midraſch Cobeletb* f. 73. 3.

(c) In *Curis* prioribus ad *Genefin T. I. opp. p. 23.* & *Anecdotorum T. I. iidem p. 23.*

*Deum, qui ipsum pavit,  
Angelum, qui ipsum asseruit.*

Qua verborum Patriarchae dispositione non obscure declarat, se in illis observasse eam figuram, quam alii *Exergasiam*, alii cum *Auctore ad Herennium* (a) *Expolitionem*, alii aliter denominant (b); quae propositiones exhibet idem, quod caput rei est, significantes; atque adeo, quemadmodum verba: *qui ipsum pavit*, conveniunt & respondent, illis: *qui ipsum asseruit*: ita *Angeli* dictionem, *Dei* vocabulo congruere. Huic observationi consentaneum est, ut *Deus, in cuius conspectu incessere ipsius Patres, Abrahamus & Isaacus*, sit ille *Angelus liberator*. Si verum fateri licet, haec non illius solum, sed aliorum etiam, sententia, eximia veri specie, commendatur; quum credibile non sit, illum, qui modo de Deo Patrum loquutus erat, sermonem aliorum inflectere voluisse, & testatum sit, vnam, eandemque vocem, modo dilutius, modo *ἐμφανιστέως* intelligendam esse. Ad lobi dictum quod pertinet, dummodo nihil mentibus anticipati ad illud interpretandum adferatur, fidei ipsius professae de mortis vindice & consurrectione ex mortuis haud quicquam decedet, si contendamus, virum pium tota mente & fiducia plenum cogitasse de Deo vivente & omnipotente, eoque

re-

(a) Lib. IV. c. XLII.

(b) De quibus nominibus, uti de re tota, vide B. SCHOETTGENIUM in Dissert. VI. de Exergasia sacra, quae T. I. Hora-

rum Hebraicarum & Talmudicarum subiecta est, in qua diligenter & accurate de ista figura exposuit,

redemtoſe Patre. Certe illi exiliter de egregia confeſſione ſenſerunt, quos etiam *Maimonides* (a) reprehendit, qui eſſatum iſtud de homine, non de Deo, expoſuerunt, perinde ac ſi ſenſus eſſet; *Scio aliquem fore ex iis, qui nunc viuunt, qui mihi redemptor erit, hoc eſt dicere, qui ius meum aſſeret & aduerſus vos, ſibi aduerſantes intelligit, tuebitur, aut certe aliquem ex iis, qui poſt natiuitate ſunt.* De ſupremo Numine, de iſto redemtoſe Deo, loquitur Iobus, quem poſt cutem corroſam ex carne ſua & ſibi viſurus atque oculis ſuis conſpecturus ſit v. 26. 27. l. c. Habet haec oraculi divini, nihil enim prohibet, quo minus eo loco dictum habeamus, interpretatio IOANNEM MERCERVM (b) auctorem, a quo COCCIVS (c) quem modo laudavi, eatenus non diſſidet. Monendi hic Lectores ſunt, nos non de fide Patriarchae & Iobi vniuerſim, ſed de ſenſu verborum, quae in locis citatis proloquuti ſunt, atque de *τὸ πρῶτον παλαιάς* diſputare. Sed concedamus in ſententiam, quae peruagator eſt, & vtrouique de Chriſto Goële ſermonem eſſe, perſuaſiſſimum habeamus; multa deſiderantur adhuc, antequam argumentationem in hunc modum concludere liceat: Ergo Chriſtus eſt redemptor ſenſu proprio, hoc eſt dicere eo, quem (§. 1.) deſignauimus. Ergo eſt redemptor totius generis humani. Vis atque poteſtas nomini Goëlis ſubiccta ad diuerſas notiones ſpectat; ſignificat illud leuirum, propin-

(a) In *Moreh Nebochim* P. III. duno-Bat. 1651.  
ſect. XXII.

(b) In commentariis in Iobum &c. p. 145, ex edit. Lug. ad Iobum dicendarum p. 190.  
T. I. Anecdor.

pinquum, cognatum, forasse primaria notio a consanguinitate repetenda est, sanguinis vindicem, rerum ex consanguinitatis iure redemptorem, hominum liberatorem; redemptorem hominum pro pretio soluto raro significat. Quocirca ex multis definienda est illa notio, quae dictioni adiungenda sit. Num illa, quae insolenter & raro & cum adiectis notionibus nihil, vel parum, habet affinitatis? Num alia, quae frequenter & saepenumero cum ea coniungitur atque notionibus adiectis magis est congrua? Litem dandam esse non secundum illam, sed secundum hanc, nihil, credo, habet dubitationis. Si ad hoc animum aduertas, disperebit redemptor Christus in Iacobi & Iobi dictis, eo sensu, quem, vt par est, indigitauimus. At versiones tamen pro ista significatione loquuntur. Non facile crediderim. Interpretis Chaldaei קִי־בַר aequae late patet, atque Hebraeorum כֶּנֶס &, quod consequens est, nihil certi per illam vocem constitui potest. Par est ratio Latini & Graeci interpretis, quorum ille *redemptorem*, hic *ἀπολύτῳ* subinde habet, dum Hebraeorum כֶּנֶס effertur dum venit. Caue putes, vera esse, quae SALOMON GLASSIVS pronunciauit (a): *Latinus, inquit, per vocem redemptoris Hebraicum Goël exprimit: dicitur aliquid, sed non omne. Graecus ἀπολύτῳ dictionem adhibet: plus dicitur ἔς persoluti pretii, quod in redemptione necessarium est, mentione inserta ἐμψαλιστέρας, quam in Latina voce, id dicitur. At nondum totum vocis pondus*

(a) In oratione de linguae Hebraeae necessitate & utilitate l. c.

*pondus exhaustum.* Mitto reliqua. In his non vno nomine peccat Vir de sacris litteris interpretandis ita meritis, vt qui maxime; partim dum vim vocis Latinae *redemptoris* deminuit; partim dum Graecae dictionis vim, vltra quam oportet, intendit. Si Stephani Protomartyris elogium *λυτρωσῶ*, quo Moſen cohonestauit, Act. VII. v. 35. mentem ipsius subiisset; & ad Vulgatum interpretem attendisset, qui *redemptor* Latine reddidit: nullo negotio peruidisset, discrimen, quod credit, nullum esse atque sine pretio dari *λυτρωτήν*. Moſen enim gentis suae liberatorem, pretio repraesentato, extitisse, quis asserere audet? Quod superest, auctoritate Iudaeorum euincitur quidem, in tanta, mentis caecitate non illos latuisse, Messiam esse Goëlem, sed de significato illo, de quo quaerimus, nihil determinari potest. Quibus ex omnibus planum fit, ex solo Goëlis nomine, etiam Messiae indito, decretorium argumentum peri non posse, quo, Christum esse Redemptorem humani generis, extra ingenii aleam collocetur.

## §. III.

Succedat aliud ex eodem fonte derivatum, singularim a nomine *Iesu*, cuius Matth. I. v. 21. interpretatio authentica extat: *αὐτὸς γὰρ σώσει τὸν λαὸν αὐτοῦ ἀπὸ τῶν ἀμαρτιῶν αὐτῶν*, ipse enim saluum faciet populum suum a peccatis eorum. Verbum *σῶζω*; a quo *σῶτηρ* descendit, nomen ita magnum, vt CICERONE iudice, Latino vno verbo exprimi non possit, quum is sit Soter,

eodem

eodem interprete, qui salutem dedit (a), praeter alia significare idem atque saluare, salutem & prosperitatem afferre, Graece doctis obscurum non est (b). Idcirco Vulgatus interpres induci poterat, ut σωσει per saluum faciat efferret, a quo TERTULLIANVS non recessit, qui Iesum Salutificatorem (c) denominauit. Verum idem adhibetur ad signandam liberationem a morbis, Marci III. v. 4. V. v. 23. 28. hanc primam illius fuisse significationem admodum verosimile sit, & a vitae periculo Matth. II. v. 25. XIV. v. 30. XXVII. 40. 42. 49. in primis cum praepositione ἀπό & ἐκ; (d) atque apud LXX. Interpretes illis verbis Hebraeis, quibus notio eripendi & redimendi inest, responder facpius (e). Qua de causa THEODORVS BEZA Angeli dictum hoc modo interpretatus est: *Ipse enim liberabit populum suum ex peccatis*; cui Arabs, ERASMVS SCHMIDVS & alii suffragantur; quibus & nos accedimus, hac ratione ducti, quod verba ipsa hanc interpretationem postulant, & Iesus congruentius dicitur liberare ex, vel a peccatis, quam saluare a peccatis. Quocirca suauissimum Iesu nomen nobis sinit liberatorem populi sui a peccatis munificentissimum. Quam magnum enim est, quam

foli-

(a) In Verrem L. II. C. LXIII. Orat. Cic. T. I. P. I. p. 680. ex edit. Graeuii.

(b) Vide SCHWARTZIVM in Commentar. sub hac voce.

(c) De carne Christi C. XIV. & alibi.

(d) ERASMVS SCHMIDVS, idoneus hac in re testis, si quis alius, & THEODORVS BEZA ad Matth. I. v. 21. SCHWARZIVS l. c.

(e) Vid. ABRAHAMI TROMMII concordantiae ad vocem σάλα.

B

solidum & immortale beneficium, homines a peccatis liberare! factum, facinus dicam, infectum reddere! poena merita scelerum exsoluere! Majus profecto, quam quod ab opum largitoribus, ab hominum iuxta sapientissimis & benignissimis, a Regum Optimis & Maximis expectari, nedum dari & ab eis omnibus proficisci possit. Norunt illi, qui toto animo hoc, quicquid est, beneficii cogitarunt, quam verum sit *LUTHERI* (a) dictum: *vbi remissio peccatorum est, ibi est & vita & salus*; cui congruum est, vt Iesus sit is, qui salutem dedit. Vtunque vero sit de inestimabili bono, quod Jesu nomen amabile designat: ad actum quidem redemptionis materialem, si formulis veterum vti licet, non autem ad actum formalem spectat. Ad actum materialem liberatio hominum a peccatis referenda est, propterea quod ea respectum habet ad obiectum, vt Logici loquuntur, quod Scholasticis dicitur *materia circa quam*. Quum igitur nomine Jesu actus formalis redemptionis, quem in datione pretii collocauimus, non significetur; atque id cum titulo *huius* Messiae, imprimis *Esaiae C. LIX. v. 20.* adscripto, conueniat, consequens est, vt sint, quae desiderari possunt, in ista probatione propositionis, quam euincere volumus.

#### §. IV.

Cum hoc nomine arctissima cognatione copulatur *σωτήρ* vocabulum, Jesu Nazareno, quem Christum profiteamur, itidem attributum Lucae II. v. 11. Joh. IV. v. 42. vti dubium non est attendenti ad ea, quae sub

(a) In Catechismo minore in libris Symbolicis p. 576. ex editione *RENEGGII*.



sub initium antecedentis §. disputauimus. Ambigitur, vtrum illud cum *Saluatoris*, an *Seruatoris*, dictione Latine commutandum sit. Ratio dubitandi inde subnascitur, quod CICERO, cui *Seruatoris* vocabulum incognitum non fuit, quippe qui eodem subinde vltus est v. c. vbi *perditorem* & *seruatorem Reipublicae* sibi inuicem opponit, seque eius *seruatorem* appellat, *Committerem*, inquit, *vt idem perditor Reipublicae nominarer, qui seruator fuissem* (a) & *Seruatores sui capitis* (b) alibi commemorat; loco citato negat, illud vno verbo exprimi posse. Quod si Graecorum  $\sigma\omega\tau\eta\rho\varsigma$  & Latinorum *Seruator* paria facerent, Latini vnum verbum habuissent, quo  $\sigma\omega\tau\eta\rho\varsigma$  reddere potuissent. Quamobrem *Seruatoris* vocabulum  $\sigma\omega\tau\eta\rho\varsigma$  vim minus exhaurire viderur atque, PAVLO MANVTIO iudice, errant, qui *Iesum Christum*, cuius immortalia merita nullo satis vno verbo exprimi Latine queunt, *Seruatores* appellant. Aliud enim est *seruare*: aliud *salutem dare*. *Seruatis*, qui ne *salus amittatur*, aliqua ratione praestat: *salutem dat*, qui *amissam restituit*. (c) Hac ratione ducti *Iesum Saluatorem* non pauci maluerunt, quam *Seruatores* denominare, a qua voce, auctore MARTIANO CAPELLA, (d) CICERO in *Latinis insolentiam vitans abstinuit*, cum alias *Sotera* verbo vno *Saluatorem* efferre potuisset. Nolim autoritates exquisita doctrina virorum cumulare (e).

B 2

(a) In Orat. T. II. P. II. pro Cn. Plancio p. 617.

(b) Pro domo sua T. II. P. II. p.

(c) In Comment. in libr. II.

Aët. H. in Verrem p. 141. ex edit. Graevii.

(d) in Nupt. Philol. p. 166.

(e) Vide vnum e multis, *Suicerum* in Thesauri Ecclesiastici T. II, Sub voce  $\sigma\omega\tau\eta\rho\varsigma$ .

In inscriptione antiqua legitur : *Joui Custodi Quirino Salvatori pro Salute Caesaris Neruae*; (a) in Bibliis veteris translationis idem nomen saepius vsurpatur, in Glossario bona e notae *Caroli Stephani Salvator σωτηρ*, in Glossario Cyrilli σωτηρ *Saluator, Conseruator*, TERTULLIANVS semel atque iterum eo vsus est (b) de Christo, LACTANTIUS, PORPHYRIUS. itidem, (c) cuius haec sunt:

*Vndique pacatis saluator maxima rebus  
Gaudia praeftabis;*

id quod dudum viri docti obseruarunt. NIZOLIVS (d) non ab re verbum *saluo* CICERONI tribuit, cum omnes libri scripti, quos FAERNVS, (e) vidit, illud habeant & in Orat. aduers. Pisonem hanc lectionem repraesentent: *Me posse iterum rempublicam saluare*. De Quintiliano (f) ab aliis dicta non reperam. Fortasse Critici auersati sunt vocem, quia minus frequentatur. De vocis *Saluatoris* significatione sic sentio, vt mihi persuadeam, eandem illius vim esse, ac *Seruatoris*. Antiquam inscriptionem EZECHIEL SPANHEMIVS (g) subministrat, in qua haec verba extant: *Libero Seruatori Sancto sacrum*. Dubium non est, quin in ea *Seruator* σωτηρ respon-

(a) Apud GRVTER, in thesauro Inscript. p. 19.

(b) Aduers. Iudaeos c. X. & adu. Marcionitas Lib. III. C. XIII.

(c) In Panegyrico Constantino dicto.

(d) In Thesauro Ciceroniano.

(e) Ad Orat. in L. Pisonem C. XXXI. T. III. P. I. Orat. p. 735.

(f) In Instit. Orat. L. X. C. XII.

(g) Les Césars de l'Empereur Julien in probationibus P. 108. ex edit. Amstelod. 1728.

respondeat, quæ vox posterior toties quoties in Græcis Inscriptionibus reperitur. Iam vero in Gruteriana Inscriptione eadem *Saluatoris* dictione effertur; vnde documentum capimus, Latinos *Servatoris* & *Saluatoris* vocabula promiscua habuisse & discrimen inter ea obscurum esse. Certe **HIERONYMVS**, non contemnendus Scriptor, illud minime observavit, cum titulum **יוסף מצרפת** Iosepho a Pharaone Rege tributum per *Salvatorem mundi* interpretaretur, eo, quod orbem terræ ab imminente famis excidio liberarit. (a) Σάξει, *servat*, is, qui ne falus amittatur aliqua ratione præstat atque a malo, morbo, periculo, ut diximus (§. 3.), liberat. Inde, credo, factum est, ut *Neptunus* σωτήρ (b) dictus sit, cuius de se loquentis apud **LVCIANVM** (c) hæc verba leguntur: *καὶ ἑμαυτὸν εἰς ὅσον ἐμοὶ δυνατὸν σώζων τοὺς πλεόντας, solus pro virili parte nauigantes seruans. Castores* ab omnibus σωτήρας nominatos esse, testis est **STRABO**, (d) eadem de causa, **EZECHIELE SPANHEMIO** (e) auctore, atque *Neptunus* hoc nomen tulit. Atque *Appollini* ἱατροῦ, tanquam σωτηρίου Φαρμακίου εὐρητή, *salutarium remediorum inuentori* (f) σωτήρος elogium (g) vna cum

(a) In Quaest. in Genesin T. III. opp. p. 146. edit. Francof. 1684.

(b) **HERODOTVS** Histor. Lib. VII. C. CXCHII.

(c) In Ioue Tragoedo T. II. Opp. p. 141. ex edit. Graeuii.

(d) Libro V. p. 354. ex edit. Amstelod. 1707.

(e) De praestantia & usu numismatum T. I. Dissert. VII. p. 416. qui plura testimonia excitat.

(f) In Legat. ad Caium p. 1006. ex edit. Francof. 1691.

(g) **SPANHEMIUS** I. c. p. 417.

cum filio (a) *Aesculapio* adscriptum est; hunc quoque τὸν σωτήρα τῶν ὅλων, *Servatorem omnium* IULIANVS (b) vocavit. Dimanavit illud ab *Aesculapio* ad Medicorum filios, subinde σωτήρας dictos (c). Salutem quoque dat, qui amissam restituit. Quibus ex omnibus ad persuadendum difficile non est, Graecorum σωτήρα non inepte *Servatoris* vocabulo efferi & vanum *Suiceri* (d) atque aliorum metum, esse, qui verentur, ne multum de beneficentia Christi detetur, si Christum σωτήρα *Servatorem* interpretemur. Qui hoc modo interpretantur, non ab usu vocis σωτήρας recepto discedunt, nec dissident a Romanis, quemadmodum Inscriptio Seculi II. post Christum natum (e) comprobatur. Neque praetermittendum est, temporis tractu restrictum vocum significatum ampliari, quod & *Servatoris* vocabulo contigit. Liceat igitur, sine veritatis dispendio, vel *Servatoris*, vel *Sauatoris* nomine Iesum Redemptorem designare. Quod superest apud LXX. Intt. σώζω verbis יהושע : ישע a יש & ששׁוֹר *Servator* nominibus ישע : ישועו *salus* respondet (f) & posterior vox *liberatorem a malis*, σωτήρα ἐν πάντων τῶν κακῶν

(a) EVSEBIUS de vita Constantini Lib. III. c. LVI. p. 513. ex edit. Mogunt. 1672. vitio librarii apud SPANHEMIVM est C. XXXVI.

(b) Orat. IV. p. 286.

(c) Vide SPANHEMIVM l. c.

(d) l. c.

(e) Facta est enim illa, SPAN-

HEMIO teste, M. ANTONIO Imp. II. & Vero Augusto Cos. hoc est anno Christi CLXII. Vide Probationes ad Iuliani Caesares l. c. Eiusmodi Inscriptiones Gruterus itidem habet l. c. p. 18.

(f) Exempla vide apud ABRAHAMVM TROMMIVM in concordant. Graecis ad vocem σώζω & σωτήρα.

αποδιδόν 1. Reg. X. v. 19. denotat. Hoc comprobat affinitatem nominis *Iesu & Servatoris*, quam etiam *Augustinus* (a) animaduertit. Erenim N. T. scribendi genus sequitur illud, quo LXX. Int. vsi fuerunt. Quae igitur (§. anteced.) de argumento a nomine *Iesu* ducto disputauimus huc quoque transferri possunt.

§. V.

Ad institutum nostrum propius accedamus & primum excutiamus dicta N. T. in quibus σωτήρ vocabulum occurrit. Sunt illa in duplici potissimum differentia. In nonnullis de Deo quoad essentiam considerato, vel de Deo Patre; in pluribus de Christo legimus vsurpatum. Quae de Deo loquuntur loca haec sunt: τὸ θεῶν σωτήρι μου *Deo Salvatore meo* Luc. I. v. 47. Tim. I. v. I. κατ' ἐπίστασιν θεοῦ σωτήρ ἡμῶν, καὶ κυρίου ἡσοῦ χριστοῦ, *ex ordinatione Dei Salvatoris nostri* Ἐξ *Domini Iesu Christi*. ibid. C. II. v. 3. C. III. v. 3. IV. v. 20. Tit. I. v. 3. II. v. 10. III. v. 4. Judae v. 25. Ista proxime non spectant ad illud, cum nobis de *Iesu* sermo instituendus sit. Quae de Christo dicta loquuntur, illa partim nudum σωτήρ nomen, partim adiuncta habent, quae ad munus redemptoris faciunt. Illius generis sunt Lucae C. II. v. 11. Tit. I. v. 4. 2. Petri I. v. 11. II. v. 20. III. v. 2. 18. Huius vero Joh. IV. v. 42. vbi Christus σωτήρ τοῦ κόσμου *Saluator mundi* a Samaritanis nominatur, quem titulum Joannes etiam Epist. I. C. IV. v. 14. *Iesu* adscripsit. Actor. C. V. v. 31. XIII. v. 23. Ephes. V. v. 23. Phil. III. v. 20. Tit. II. v. 13. III. v. 6. II. Petr. II. v. 20. Ista non ab re praetermittimus de his sollicitio-

res.

(a) De Trinitate Lib. III. c. X.

res. Magnificus plane titulus est, quo Christus *mundi Saluator* in locis Ioanneis appellatur. Idem est atque ille, quo *Iulianus Aesculapium* mactauit, dum eum falsissime *Seruatorem omnium* diceret, & affinis ei, quem Aegyptii Neroni, omnium pessimo Principi, in nummo sunt impertiti, scilicet in laurea, cui haec verba inscripta: τῷ σωτῆρι τῆς οἰκουμένης, *Seruatori orbis* (a); quae quidem appellatio, EZECHIELE SPANHEMIO iudice, *oni vero & sacrosancto generis humani Seruatori Christo conueniebat*. Ex hoc colligere licet, quam superbum Christi hoc nomen hominibus profanis, qui de eo aliquid inaudiuerant, visum fuerit & quantum pateat ipsius de genere humano meritum. Complectitur illud omnes & singulos homines maximos, minimos, neque quenquam excludit. Verum ne hoc axiomaticum quidem, licet augustissimo, de notione redemptoris primaria quicquam certi definiri potest. Petrus cum Apostolis coram Synedrio constitutus publice professus est: *Deum suscitauisse Iesum & principem & saluatorem exaltasse dextera sua, ad dandam poenitentiam Israël & remissionem peccatorum*. Act. V. v. 31. 32. Quibus verbis declarat, qualem Seruatorem Deus nobis dederit; illum videlicet, qui viam ad poenitentiam & remissionem peccatorum aperiret. Hic Iesum agnoscimus, ex Angeli Iosepho per visionem oblatis interpretatione Marth. I. v. 21. cuius erat, teste Paulo, ἀμαρτολὸς σῶζεν, *peccatores saluos facere*. 1. Timoth. I. v. 15. Pauli dictum est Act.

(a) De hoc nummo vide VAILLANTIVM in Nummis Imp. T. II. de praest. & vsu numism. Graec. p. 18. SPANHEMIVM p. 500.

Act. XIII. v. 23. Christum pronunciantis *Saluatorem*  
*Israëli datum*; quod propter dicenda adnotasse sufficiat.  
 Ab eodem profectum est aliud effectum, in quo Iesus  
 dicitur σωτήρ τοῦ σώματος, *Saluator corporis*, Eph. V. v. 23.  
 quod de Ecclesia merito interpretamur, propterea  
 quia in eodem commate, κεφαλὴ τῆς ἐκκλησίας, nomina-  
 tur; cui consentaneum est, vt is sit Seruator vniuersi-  
 tatis hominum, qui societatem Christianam constitu-  
 unt. Fidelium igitur, qui cum Christo, tanquam mem-  
 bra cum capite, coniunguntur, Seruator per hoc dictum  
 habetur. Eodem auctore, perspectum habemus, Christum  
 Seruatorem *formaturum esse corpus humilitatis*  
*nostrae, configuratum corpori claritatis suae*, Phil. C.  
 III. v. 20. Idcirco inter bona, quae debentur illi, con-  
 surrectio ex mortuis, vel corporis transformatio, con-  
 numeranda est. Illa, per Christi dicta Joh. VI. v. 39.  
 40. 44. 54. resurrectio beatorum ad vitam aeternam,  
 dubio procul, est. (a) Ad Seruatoris beneficia quo-  
 que referuntur abolitio mortis, vita & incorruptio,  
 ἀφθαρσία, immortalitas, vel salus interminata II. Tim. I.  
 v. 10. De eodem idem sanctus testis haec habet: *Qui*  
*se dedit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni*  
*iniquitate & mundaret sibi populum acceptabilem, secta-*  
*torem honorum operum* Tit. II. v. 13. 14. Quibus in  
 verbis sistitur nobis Seruator Iesus Christus, vt Redem-  
 tor, qui seipsum dederit pro nobis. Verbum λυτρώω  
 varias

(a) Vide B. SCHOETTGENI & Programma Paschale nomine  
 VM ad Ioh. VI. v. 39. in Horis  
 Hebr. & Talmud. T. I. p. 360. de resurrectione impiorum. p. 15.

varias significaciones apud LXX. Intt. admittit, etiam eam, quae liberationem a malis vitae huius innuit. Fidem dicto faciunt ΤΡΟΜΜΗ Concordantiae (a). In N. T. quoque eadem vis verbo subiecta est. Discipuli Hierosolymis Emmauntem commigrantes prae se ferunt, se a Jesu expectasse, ὅτι αὐτός ἐστιν, ὁ μέλλων λυτρώσθαι τὸν Ἰσραὴλ, ipsum esse redempturum Israël. Luc. XXIV. v. 21. Hic verbum λυτρώσθαι nihil significat aliud, nisi liberare sensu Politico. Judaei enim & cum his Christi discipuli, ne Apoitolis quidem exceptis, Messiam operiebantur, qui terrenum regnum occuparet atque inuisissimum seruitutis iugum, suis ceruicibus a Romanis impositum, demeret. Liberationem in hoc positam, ut Christus se daret in redemptionis pretium, discipuli sibi tunc temporis persuadere nullo modo poterant. Quamquam hoc ita se habeat, in loco tamen excitato verba: *ὡς λυτρώσθηται ἡμεῖς, ut nos redimeret, spectant ad eam redemptionem, quae soluto pretio absoluitur. Pro ista interpretatione faciunt domesticus, nativusque vocis λυτρώω sensus, & verba, qui semet ipsum dedit pro nobis. Formula dicendi: semet ipsum dedit pro nobis, de Christo vsurpari solita Gal. I. v. 4. II. v. 20. 1 Tim. II. v. 6. Spontaneam sui ipsius, nostrum vice, in mortem dationem denotat. Si addubitas, cogita Pauli istud dictum: Christum dilexit nos & tradidit semet ipsum pro nobis, oblationem & hostiam Deo in odorem suavitatis Eph. V. v. 2. Quis in eo mortem Christi non agnoscit, dum legit εἰς θυσίαν, in hostiam, in victimam? Nonne Christus hoc sacrificium*  
Deo

(a) Sub voce λυτρώω.



Deo tum obtulit, cum semetipsum, quod semel fecit, offerret, Hebr. VII. v. 27. *Et per proprium sanguinem introiret semel in sancta, aeterna redemptione inuenta IX. v. 12?* Sic est factum. Quocirca in illo ad Tit. II. dicto, mors ipsius est pretium persolutum pro nobis, vt nos redimeret ἀπὸ πάσης ἐνομιᾶς ab omni peccato. Sic vertimus, nisi auctoritate Ioannis I Ep. III. v. 4. Quae cum ita sint, isto testimonio conuincimus, Iesum esse redemptorem hominum, significatione propria atque ea, quam (§. r.) subministrauimus. Ad Tit. III. v. 6. Seruatori Christi *iustificatio nostra & II Petri II. v. 20. cognitioni ipsius mundities a coinquinationibus mundi*, hoc est, liberatio a peccatis accepta refertur; quod quidem ad actum redemptionis formalem minus pertinet.

## §. VI.

Ad illum potius spectat dictum Christi Matth. XX. v. 28. protestantis, *se non venisse ministrari, sed ministrare & dare animam suam redemptionem pro multis*. In isto occurrit vocabulum λύτρον, quod Vulgatus reddit, *redemptionem* & intelligi debet de pretio redemptionis. Hanc enim potestatem Graeco vocabulo subiectam esse, procliuè probatu est. HESYCHIO (a) interprete, λύτρον est τίμημα pretium; λύτρα vero sunt καθάρματα; λύτρα καὶ πάντα τὰ δίδόμενα εἰς ἀνάλησιν ἀνθρώπων, purgamenta, sacra expiatoria & omnia, quae dantur, ad reuocationem hominum ab exilio atque λυτρώμενοι, redemptum ex captiuitate. IULIO

POL-

(a) In Glossario ad hanc vocem &amp; reliquas.

POLLVCI, recensenti, varia praemiorum & pretiorum genera (a), v. c. Σώτιστα saluatoria pretia, quae Medico, διδασκτρα, quae institutori, κόμιστρα, quae portatori debentur u. τ. λ. ab ERASMO SCHMIDIO (b) adscribitur λύτρον, quod datur ex captiuitate hostili dimittenti. Sed vt verum fateamur, illud apud eundem nobis, etsi cum cura quaerentibus, inuenire non licuit. Certius est SVIDAE (c) testimonium, perhibentis: λύτρα esse μισθὸν pretium redemptionis, ἢ τὰ παρεχόμενα ὑπὲρ ἐλευθερίας ἐπὶ τῷ λυτρώσασθαι βαρβάρων δουλείας, vel ea, quae dantur pro libertate, vt aliquis ex barbarorum seruitute liberetur. SVIDAM cum HESYCHIO contendenti dilucet, gemina esse huius, τὰ δεδομένα εἰς ἀνάκλησιν ἀνθρώπων & illius τὰ παρεχόμενα ὑπὲρ ἐλευθερίας ἐπὶ τῷ λυτρώσασθαι βαρβάρων δουλείας atque, quod consequens est, Graeco vocabulo, non ab re, decerni significationem pretii, quod pro captiuo redimendo dissoluitur. Pretium illud vel res, vel pecunia, quam pretium eminens vocari consuevit, esse potest. De re vocem adhibuit ΤΗΥΣΥΔΙΔΕΣ, qui de HIPPOCRATE, Gelae tyranno, haec habet: λύτρα ἀνδρῶν Συρακουσίων ἀρχμαλώτων λαβῶν τὴν γῆν τῶν καμαρναίων, pro Syracusanorum captiuorum redemptione Ca-

(a) In Onomástico Lib. VI. C. XLI, p. 671. ex edit. Amstelod. 1706.

(b) In notis ac animaduersionibus ad N. T. p. 160. vbi ad L. VI. C. XL. XLI. prouocat, etsi in C. XL. nihil hac de re lega-

tur, & in C. XLI. neque istud vocabulum, neque in POLLVCE alibi, si fides adhibenda est indici Graeco, a STEPHANO BERGLERO ordine alphabetico diligenter digesto, reperitur.

(c) In Lexico ad hanc vocem.

marinaeorum agrum accepit. (a) De pecunia vero DIONYSIVS Halicarnassensis, qui, clientum Romanorum officia erga patronos commemorans, nos conducet, eorum fuisse, patronos in elocandis filiabus iuvare, si eis parum esset pecuniæ & , si vel ipsi, vel eorum filii capti essent, λύτρα καταβάλλειν πολεμίοις pretium hosti dependere: priuatarum quoque litium aestimationes & multas publicas pecuniarias pro eis solvere, idque sumtu proprio. (b) XENOPHONTIS, PLVTARCHI, STRABONIS auctoritates, pro hoc sensu adstruendo, suppeditant alii. (c) Idcirco dubium non est, quin λύτρον, per pretium redemptionis, exprimi queat. Num eadem notio subiicienda sit voci in loco Matthaei XX. v. 28. de hoc in praesentibus nobis iam disquirendum est. Intelleximus enim eadem καθάρματα καὶ λυτήρια signari. Erant vero, temporibus superstitionis plenis, καθάρματα, quae & Graecis ἀναθήματα dicebantur, res, vel homines a populo pro populi salute deuoti, qui essent piacula omnis Deorum irae, qui pestem, a suis auersam, in hostes ferrent. (d) Hisce moriendum erat; Si is homo, qui deuotus est moritur, probe factum videri, testis est LIVIVS; (e) nec homines &

(a) Lib. VI. C. VI. Histor. p. 381. ex edit. Amstelod. 1731.

(b) Antiqu. Roman. Lib. II, p. 84. ex edit. Lips. 1691. conferri adhuc meretur p. 118. 191. 227.

(c) THOMAS MAGISTER de vocibus Atticis, HENRICVS STEPHANVS in Thei. Linguae

Graecae, IO. CONR. SCHWARTZIVS in Comment. sub voce λύτρον.

(d) LIVIVS L. VIII. c. IX. vbi de Decio Cos, qui pro legionibus Romanorum se deuoverat & de deuotione veterum Romanorum exposuit.

(e) l. c. C. X.

& res deuotas recipere licebat, ne malum, quod auerrunt, teare deuouentes volebant, in eos recideret. (a) Hanc quoque significationem nomen adiectum flagitat. Namque *λοτήρια* nominabantur, ipsae hostiae, quarum sanguine, quibusdam caerimoniis adhibitis, nocentium peragebatur expiatio (b), hac fini, ut ab eisdem Deorum depelleretur ira, impiatorumque vltor procul ablegaretur. (c) Istiusmodi victima etiam *κάθαρμα* appellabatur, (d) eratque in Graecorum religione, quam Romani, maximam partem sequebantur, *χοιρίδιον μίθρον paruus porcus*, cuius animalis sanguine utebantur propterea quod, quoad interiora viscera, proxime ad humani corporis fabricam accederet; ex quo persuasum habebant, eo humanam caedem efficacissime expiari posse (e). Exemplum deuotorum pro patria & populo Romano LIVIUS commemorat. (f) Plura aliarum gentium diligenter denarrat PERIZONIUS, (g) eaque testimoniis

(a) Vide SCHWARTZIVM l. c. ad vocem *ανάθεμα*.

(b) KVEHNIVS ad Pollucis Onomasticon Lib. I. Segm. XXXIII. p. 23. n. 48. edit. ditae.

(c) HESYCHIVS l. c. in voce *ἀποδοτικμῆσασθαι*.

(d) HESYCHIVS & HARPOCRATION in *κάθαρμα* & *καθάρσιον*.

(e) HESYCHIVS in *Ἄφεσις* ἀγρὰ Pausanias I. Eliac. KVEHNIVS ad POLLVCIS O.

nom. Lib. VIII. C. IX. p. 923.

(f) Primum est eorum, qui se sub aduentum Gallorum Senonum deuouerunt L. V. C. XLI. alterum Curtii Lib. VII. C. VI. tertium Decii de quo diximus CICERO de finibus Lib. II. C. XIX. p. 104. ex edit. THOMAE BENTLEII Cantabrig. 1718. alia subicit & plura adduci posse monet.

(g) Ad Ael. Var. Hist. L. XII. C. XXIX. p. 764. sequi edit. Lugd. Bat. 1731.

monii comprobat, ex quibus vnum praetermittendum non duxi, quod PHILONIS BYBLIVS, his, ad sensum, verbis exhibet: (a) *Mos erat antiquis, ut in magnis calamitatibus & periculis, qui urbem, aut Gentem imperio regebant, filium maxime dilectum pro omnium exitio, eis σφαγήν ἐπιδίδοναι λύτρον τοῖς τιμοῦσι δαίμοσι, maclandum darent, piaculum Diis ultoribus.* Interpres EVSEBII, haec PHILONIS verba referentis, quae Graece recitauimus, ita expressit: *ultoribus Daemonibus jugulati, ut sanguine, quasi pretio redimerent.* Refert quoque PORPHYRIUS, (b) eiusmodi exemplorum plenam esse Phoeniciam Historiam, quam Phoenicia lingua Sanchuniathon conscripisset & Philo Byblius sermone latino donauisset. Sacra historia in hanc rem documentum dat in Reg. III. v. 27. vbi relatum legimus, quemadmodum Moabitarum Rex a Ioram Rege pulsus & Kir-Charesethae obsessus, cum omnia indies arctiora sibi fieri videret, filium primogenitum in holocaustum obtulerit in muro. In PHILONIS testimonio habemus λύτρον ea significatione, qua deuotus, qua piaculum & sacrificium expiatorium repraesentatur, congruenter HESYCHI & aliorum interpretationibus. Deuotus istiusmodi pro salute aliorum ἀντίψυχος vocabatur a Grae-

(a) In Phoenicia Histor. apud EVSEBIUM in Praepar. Euang. p. 156. ex edit. 1688.

(b) Περὶ ἀποχής τῶν ἐμψύχων, de abstinence ab esu animalium Lib. II. §. 54. & apud EVSEBIUM I. c. qui de ἀνδροτασίως

PORPHYRII, DIONYSII *Ha-*  
*licarnassensis*, DIODORI *Siculi*  
CLEMENTIS *Alexandrini* loca  
concessit, Conf. CYRILLVS *A-*  
*lexandrinus* adu. IULIAN. Lib.  
IV. p. 129. ex edit. Lips. Opp.  
Jul. 1696.



a Graecis, tanquam animam pro anima tradens, vt ait ARISTIDES, (a) *quando dilecta anima pro anima, corpus pro corpore contribuitur*. In quaestione igitur venit; numne eadem ratione in Christi Seruatoris dicto dictio *λύτρον* interpretanda sit? Persuasibile viderur, primum, quod Haebraeorum *כֶּזֶב* sacrificium piaculare & *קָדִשׁ* idem fere significant; haec autem vox a LXX. Intt. *λύτρον* redditur Exodi XXI. v. 30. XXX. v. 12. Num. XXXV. v. 31. 32. alibi, & eadem *περιπάθασμα*, quod eandem vim atque *κάθαρμα* habet, Prouerb. XXI. v. 18. vertitur, quo in loco haec leguntur: *περιπάθασμα δικαίων ἀνομος, καὶ ἀντὶ ἐυθύνων*; atque verborum N. T. potestas metienda saepius est, ex ea, quae in versione Graeca V. T. illis attribuitur. Accedit, quod veteres Hebraei Messiam *קָדִשׁ* *כֶּזֶב*, *אֲנָדְרָא לִטְרוֹן*, (b) vocarunt, quam appellationem cum *כֶּזֶב* *כֶּזֶב* commutare & interpretari licet, per eum, qui supplicium aliorum sustinet in se transferendo eorundem iniquitatem Esaias LIII. v. 10. Deinde constat, victimas Haebraeorum piaculares, ex diuina institutione, surrogatas esse, in locum peccatorum & luisse poenas eorum meritas. Denique affinitas vocum, *καθαρσμός*, *ἵλασμός*, *λύτρον*, se mutuo explicantium, pro isto sensu loqui viderur. Neque obstat, quod Marci V. v. 45. *λύτρον* reperitur & 1 Tim. II. v. 6. Christus dicitur se ipsum dedisse *ἀντίλυτρον*. Namque nihil repugnat, quo

(a) In Orat. sacris apud. ΤΟ ΜΑΣΙΝΥΜ de Donar. C. IV.

(b) Videatur HUGO GROTIUS ad Matth. XX. v. 28. quem

de re tota consulere iuuabit, vtpote qui diligenter de hoc Christi dicto disquisiisse nobis visus est, cui & nos argumenta quaedam debemus.

quo minus in Marci dicto eiusdem argumenti, significatio eadem locum tueatur. Et quod ad ἀντίλυτρον pertinet, dubio procul, illud, de Christo vsurpatum, idem atque λύτρον est. Qua de re, si hoc notionem illam non respuit, neque istud auerfabitur eam. Est certe ἀντίλυτρον, cum caput cum capite & vita redimitur vita. HESYCHIO teste licet denuo uti, qui ἀντίλυτρα, ἀντίψυχα, περικαθάρματα coniungit. (a) Pro piaculis humanis, obferuante SCHWARTZIO, (b) quae nonnulli Dii roposcissent, victimae, vel etiam homines alii, pretio allec-ti substituebantur, atque istae, vel hi, dicebantur ἀντίλυτρα. Habemus THEOPHYLACTVM (c) expositionis illius approbatorem, qui quaestione proposita: τί δέ ἐστιν ἀντίλυτρον; Quid est ἀντίλυτρον? responderet: ἔνοχος ἦν ἡ φύσις, ὥστε ἀπολέσθαι, ἀλλ' ἀντ' ἐκεῖνης ἑαυτὸν ἔδωκε. Natura erat obnoxia interitui, is vero pro illa seipsam dedit. Congrua est illa verbis adiectis, δοῦναι τὴν ψυχὴν αὐτοῦ λύτρον ἀντὶ πολλῶν. Nam ψυχή saepe numero ζωὴν, vitam, significat & ἀντὶ πολλῶν, vice multorum, conuerti debet. Idcirco Christum vitam suam cum interitu multorum commutare oportebat; id quod deuoti mortem & piaculum designat. Hac ratione fuit ἀντίψυχος hominum, λύτρον, ἀντίλυτρον, quod vicaria morte homines redimeret. Patribus ad hunc locum respicientes mire placuit vocabulum ἀντίψυχος. Dabimus vnum eorum, vel

(a) In voce περιψήματα.

exempla huius rei vno plura commemorat.

(b) In Commentar. Crit. ad vocem ἀντίλυτρον, qui etiam

(c) Vide SVICER, l. c. in ἀντίλυτρον.

D

vel alterum testimonium. **IGNATIVS (a)** Ἀντίψυχον αἰτ, ἡμῶν τὰ πνεύματά μου, καὶ τὰ δεσμά μου, ἃ διὰ ὑπερφανήσασθε, ἰσὺς ἐπιπορεύσασθε. *Vitam vitam meam pro vestra ponere possem & vincula haec mea, quae non fastidiuistis, neque ob ea erubuisistis.* **EVSEBII (b)** hoc dictum est: τὸν μὴ γινώσκοντα ἁμαρτίαν ὁ θεὸς ὑπέβη ἡμῶν ἁμαρτίαν ἐπιπορεύσας, ἀντίψυχον ὑπέβη ὑπὲρ πάντων ἡμῶν προέμενος αἰσίου. *Deus fecit eum, qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum, cum eius vitam loco nostrum tradidisset.* Ἀντίψυχον ἐκεῖνῷ σῶμα **ATHANASIVS (c)** de Christo habet. Contentanea quoque est reliquo contextui orationis Christi, qui discipulos ad humilitatem adhortatus docuerat, primo inter eos conuenire, ceterorum omnium seruum esse. Adhortationi isti subiicit exemplum suum, & se hominum seruum proficitur. Quis magis pro seruo haberi multitudinis potest, quam qui, pro ipsorum salute deuotus est? qui καθάριμα, purgamentum, sit? quid humiliter? quid contentius isto? Si caetera deessent, etsi non desunt, illud tamen ex testimonio Pauli, conquerentis de iniquitate hominum Apostolos infamantium, ὡς περὶ ἀκαθάρματα τοῦ κόσμου καὶ πάλιν περιψυμαί, ut purgamenta mundi & omnium sordes, 1 Cor. IV. v. 13. perfidere integrum foret. At, inquires, hac admissa interpretatione, tollitur pretium redemptionis, pro quo tamen verioris doctri-

(a) In Epist. ad Smyrneneses. p. 5. ex ed. Oxon.

(b) In Demonstratione Euangel. Lib. X. p.

(c) De incarnatione Verbi, vnde cognatus ἀντίψυχον, non

animam solam respicere, vt sit, quasi ἐπί ψυχῆς, etsi prima vocabuli significatio fuerit, sed generatim illi notionem vicarij attribuendam esse. SVIC. in ἀντίψυχον.



doctrinae expositores propugnauerunt acriter, propugnauimus que ipsi, in eius exhibitione redemptionis actum, quem vocant, formalem constituent. Negamus non ab re consequentiam. Pro pretio enim fit, quod non gratis fit, vel datur. De pretio eminenti, vel pecunia, hic sermo esse nequit; sed de pretio vulgari. Iam vero inter homines in permutatione, in qua, res pro re & in commutatione, in qua, res pro operis, datur, omnino pretium istiusmodi locum inuenit, utpote quod in contractibus onerosis statui debet, eo fine, ut in illis obtineatur aequalitas. Quibus aliquis cum iure naturali fuit usus, hoc dubium non est. Quocirca planum fit, pretium, in dicto loco signari, siue in hunc modum vertas, *ut daret animam in pretium redemptionis pro multis*, siue in istum, *ut daret vitam in piaculum vice multorum*. Pretium hic est, non tam quod dederit, vel fecerit Christus, quam quod passus est. Mors, quam nostrum loco subiit, est illud pretium, quo nos redemit. Nostro sensui consentanea est formula dicendi: *quam acerbiter ego a republica meis priuatis & domesticis incommodis libentissime redemissim.* (a) Affinis est ei altera: *Ego vitam omnium ciuium, statum orbis terrae, urbem hanc denique, quinque hominum amentium ac perditorum poena redemi.* (b) Neque, uti supra retulimus, omnino male vertit PHILONIS verba EVSEBII Latinus

(a) CICERO in Epist. ad div.  
L. II. Epist. XVI. p. 109. ex editione GRAEVI.

(b) Idem in orat. pro Sulla  
T. II. Orat. P. II. c. XI.

nus interpres. Hisce ita disputatis, iam satis est ad euincendum, Christum esse Redemptorem hominum.

§. VII.

Huic veritati suffragantur alia S. S. testimonia; in quibus illud Petri annumeratur: *Scientes, quod non corruptibilibus, auro vel argento redempti estis, de vana vestra conuersatione paternae traditionis: sed pretioso sanguine, quasi agni immaculati Christi & incontaminati.* Suae gentis homines alloquitur Petrus & admonet, vt animo cogitent, eos redemptos esse, ἐλυτρώθητε, non auro & argento, sed sanguine istius agni, qui portabat peccata mundi. Pretium pretio, sanguinem pecuniae opponit, vt in oculos incurrat, quanta sit huius pretii praestantia, quod auro & argento, rebus hominum iudicio praestantissimis, anteponendum sit & id effectui det, quod maximae opes praestare non poterant. Quod hic & alibi Act. XX. v. 28. Ephes. I. v. 7. II. v. 13. Col. I. v. 14. 20. Hebr. IX. v. 12. 14. X. v. 19. *sanguini* Christi, illud in dicto supra enarrato Matth. XX. v. 28. *vitalis* sc. amissae & *mortis* Rom. V. v. 10. Col. I. v. 22. Hebr. II. v. 14. imputatur. Haec etsi verbis diuersa, re tamen & notione eadem sunt. Quid enim est vita amissa, nisi mors est? Ecquid aliud sanguis pro nobis effusus, cum vita hominis in sanguine sit, nisi caedes eruenta? Significatur eo mors Christi piacularis, non seclusis aliis passionis actibus, eandem antegressis. Idcirco non nimis premendus est sanguis Christi in opere redemptionis; quemadmodum faciunt illi, qui de efficacia sanguinis, guttularumque sanguinis Christi, subtiliter

tiliter magis, quam prudenter disputant. Quod caput rei est, ex verbis Petri ad probandum difficile non est, Iesum morte piaculari, ceu pretio expenso, homines liberasse atque seruasse &, quod consequens est, redemptorem generis humani esse. Praetermittimus alia S. S. pronuncjata, in quibus *λυτρώσεως* & *ἀπολύτρώσεως* mentio iniecta & alterutra eidem attributa est.

§. VIII.

Restant ea, quae Christum tanquam sacrificium pro nobis nostrisque peccatis Deo oblatum ante oculos nobis ponunt. Etiam illa, in quibus morti traditus pro nobis dicitur. Ad sacrificium pertinent Ephes. V. v. 2. Hebr. VII. v. 27. IX. v. 26. Alterius generis sunt Ioannis XI. v. 50. 51. Rom. V. v. 8. VIII. 34. XIV. v. 15. Hor. V. v. 7. XV. v. 3. 2 Cor. V. v. 14. 1 Thess. V. v. 10. Haec strictim modo attingamus. De sacrificiis piacularibus obseruauimus, surrogatas eas esse in locum peccatorum & luisse poenas eorum meritas (§. 6.) Gentiles in ea haerese fuisse propter ea, quae de deuotis & sacrificiis eorundem humanis, pariter atque victimis substitutis exposuimus, exposuerunt alii, neminem, credo, latebit. De sacrificiis Israelitarum *חַטָּאת* piacularibus & *חַטָּאת* pro *admissa noxa* constat, illis imposita esse peccata eorum, pro quibus offerebantur. Fieri solebat hoc manuum impositione Leu. C. IV. v. 4. ubi illa ad sacra pro peccatis facta, ex quadrupedibus, requirebatur. Idem in sacris pro noxa, vel reatu, factis vsu venisse Iudaei referunt. Perficiebatur illa, ab eo, qui victimam litabat, cum pondere atque onere, nec licebat id per alium facere; si priuati, a vicariis

nomine congregationis; si totius congregationis, ab omnibus & singulis; si plurium simul offerentium esset sacrificium. Non sine conceptis verbis, pro conditione sacrificii, atque formulis  $\pi\delta\epsilon\delta$ , sic appellabatur manuum impositio, absoluebatur. Inter eas haec hominis privati erat: *Obsecro Domine, peccavi, deliqui, rebellavi hoc & illud feci, nunc autem conversus sum per poenitentiam hostia haec sit  $\pi\pi\pi\pi$  expiatio mea.* (a) Eo redibat uniuersus hic ritus, Summe Ven. CARPZOVIO (b) interprete, ut offerentis cum culpa, tum poena in uictimam transferretur, eaque in locum, vicemque surrogaretur. Quum igitur Christus sit hominum sacrificium piaculare, consequens est, ut in eum nostra tam culpa, quam poena, translata, eiusque mors sit pro peccatoribus vicaria. Hoc sibi quoque volunt particulae  $\acute{\omicron}\pi\epsilon\acute{\rho}$ ,  $\acute{\alpha}\nu\tau\iota$ , non in eis solum locis, in quibus Christi sacrificium commemoratur, sed etiam in dictis posterioris generis, atque aliis assinibus, frequentari solitae. Etsi enim illae diuersas significationes admittant, dubium non est, quin *vicarium quiddam* significant. Ita  $\acute{\alpha}\nu\tau\iota\beta\alpha\sigma\iota\lambda\epsilon\upsilon\varsigma$  interrex, *vicarius Magistratus*,  $\acute{\alpha}\nu\tau\iota\beta\upsilon\lambda\omicron\varsigma$ , de qua voce diximus, *vicarius passionis* est. Exempli, in quibus  $\acute{\alpha}\nu\tau\iota$  adhibetur, cum cura expendens non potest non animaduertere, vim quam in compositione SCHWARTZIVS (c) eidem adiudicat, generatim ei con-

(a) MAIMONIDES in *Maase korban* Cap. III.

(b) In Mantissa de Sacrificiis, apparatus Antiquitatum subiecta, Sect. III. p. 711. qui ibidem &

in antecedentibus plura subministrat huc facientia.

(c) In Comment. Criticis ad vocem  $\acute{\alpha}\nu\tau\iota\beta\upsilon\lambda\omicron\varsigma$  Adhuc ipse in  $\acute{\alpha}\nu\tau\iota$  significationem, *super* ex Ioann.

conuenire, ita vt vel aequalitem, vel repugnantiam, vel quod vicarium est, denotet. Dum igitur Christus dicitur se dedisse *λόγρον ἀπὸ πολλῶν* Matth. XX. v. 28. Marci X. v. 45. aut aequalitatis, aut repugnantiae, aut vicarii cuiusdam notio constituenda est. Non *repugnantiae*, alias non hominibus inseruiret Christus, sed officeret; non *aequalitatis* notio ei ponenda est, propterea quod ex eo ministerii ratio non dilucet, si contenderemus, Christum pro sacrificio piaculare obtulisse, idemque pretium redemptionis, atque homines, dedisse. Ergo nihil est reliquum nisi vt significatum amplectamur eum, qui vicarium quiddam respicit. De particularum *ἀπὸ, ἀπὸ, ἀπὸ* denotatione HUGO GROTIUS aduersus FAUSTVM SOCINVM (a), pluribus edisseruit & argumentando planum fecit, illis eam tribuendam esse, quam, nos flagitamus, id quod IO. CRELLIUS non euerit. Christus igitur *mortuus est pro nobis* secundum facras litteras, quatenus *loco nostrum morti traditus est*, vel potius semet ipse sponte sua tradidit.

## §. IX.

Hanc Christi redemptionem vt eleuarent FAUSTVS SOCINVS &, qui ipsum affectatur, IOANNES CRELLIUS, quos modo dixi, inficias iuerunt, eidem redemptionem proprie dictam assignari posse, hac ratione inter alias ducti,

Ioann. I. v. 16. vbi verba *χάρις ἀπὸ χάριτος*, dubio procul sic red-  
denda vni sunt: *gratia super  
gratiam*. Verum nihil obstat, quo

minus sic conuertantur: *gratia  
in locum gratiae*.

(a) De Satisfactione Christi  
p. 3, T. IV. Bibl. Fratr. Pol.

ducti, quod non sit hostis, qui homines captiuos detineat, cui pro eis persolutum sit pretium. Multa quidem esse, qui nos tamquam captiuos detineant; peccatum scilicet, diabolus, mundum, &, qui peccatum consequitur, mortis aeternae reatum. Diabolus pretium, quod in nostra liberatione interuenit, accepisse perabsurdum videri; (a) etsi illa sententia ORIGENI (b) AMBROSIO (c) & AVGVSTINO se (d) probaverit. Non peccatum, non mundum, non reatum pretium accepisse, atque adeo liberationem nostram non esse, nisi metaphoricam redemptionem. Neque dici posse, Deo illud expensum esse, quia is nos non captiuos detinet, sed salutis nostrae hostes; quod vel inde perspicitur, quod ipse hanc redemptionem fecerit ac procurarit, & pretium quod pro nobis datum est, impenderit, atque istud non illi soluatur, qui ipsemet impendit, quique redemptionem facit ac procurat, sed ab eo alteri. (e) Quae omnia eo tendunt, vt negetur propriam esse redemptionem, eam liberationem, in qua non adsunt captiui, pro quibus pretium persolutum fit. Fatemur equidem, vti iam facti sumus (§. 5.), natiuum videri & domesticum istum istius vocis sensum, si de hominibus redimendis loquamur; sed quortusquisque

(a) SOCINVS de Seruatore  
P. II. Lib. II. p. 143. T. II. Bibliothecae Fratrum Polonor.

(b) In Epist. ad Rom. Lib. II.  
C. II.

(c) In Epist. LXXVII.

(d) De Trinitate Lib. XIII.  
C. XV. p. 666. T. VIII. Opp.

(e) IOANNES CRELLIVS  
in Responsione ad librum H. GROTII de satisfactione Christi  
ad C. VIII. p. 172. T. IV. Bibl.  
Fratrum Polon.

que ignorat, vnius vocis plures dari significatus proprios? Ipsum redimendi vocabulum nobis exemplo fit. Vi vocis idem est atque *re & emo*, vnde dicitur *paetum redimendi*. *Redimere delatorem pecunia* VLPIANO (a) est, cum pecunia a delatione deducere. *Redemptor litis*, seu caularum, is dicitur, qui lites quotidianas pecunia mercatur. (b) *Redemptores*, auctore FESTO, proprie atque antiqua consuetudine dicebantur, qui cum quid publice faciendum, aut praebendum conduxerant, effecerantque: tum demum pecunias accipiebant. Nam antiquitus emere pro accipere ponebatur. At ii nunc dicuntur redemptores, qui quid conduxerunt praebendum, vtendumque. (c) Misas iam facio reliquas acceptiones, etiam proprias, cum quae diximus, nobis ad vincendum satis sint, vna plures significaciones, easdemque proprias, in vna conuenire voce. De propria enim significatione in exemplis, quae allegauimus, nemo, credo, dubitat. Existit vero ista significationum diuersitas, dum vocabulum, ab vna re vsurpatum, transfertur ad aliam denotandam, propter vtiusque vel cognationem, vel similitudinem. Illa translatio in causa improprietas non est, nisi tum, cum res vocabulo suo non destituatur. Non negamus, aliquid translatii reperiri in redemptione, pro nostro sensu; quo transducitur ad perpeffiones, quas quis

(a) l. 29. ff. de Iure fisci.

(b) l. 39. ff. de rei venditione.

(c) Vid. Auctores Latinae linguae in vnum redacti corpus auctore DIONYSIO GOTHO-

FREDO 1622. p. 399. Conferri meretur quoque EDWARDVS STILLINGFLEET de vera causa mortis Christi aduersus CRELIVM p. 128. seqq. ex vers. Germ. Lips. 1732. edit.

quis pro peccationibus supplicio destinatorum subire tenetur, ut hos ab illis immunes praestet. Non succurrit aliud nomen, quo eandem notionem, aut signaverimus, aut aequè signare possimus. Quocirca proprie de ea redemptio dicitur & ita proprie dicitur, uti de aliis rebus, primo quoque tempore, usu venerit. Temporis enim habenda ratio non est in definienda dictionum significatione propria. Ut dicta comprobemus a Latinis ad Graecos secedamus. Apud hos *λύτρον* partim est pecunia, vel res, quae pro captiuo liberando expenditur, partim piaculum, quo magna calamitas avertuntur. (§. 6.) Utrobique sensu proprio adhibetur, tum, cum de captiuo redimendo agitur, tum, cum de sacrificio piaculari exponitur. Sit prior tempore ista significantia, haec posterior; adhaeret huic adsignificatio pretii ducta a priore, uti adhaeret, ex nostra sententia; nihilominus tamen manet in ea significatio propria. Dictum videtur satis de hac re.

## §. X.

Veniamus iam ad mala a quibus nos Redemptor Christus liberavit. Redemit, nos, dubio procul, a peccatis. Dicta excitata SS. de eo dubitare nos non sinunt. Homines peccatores sunt, quibus libertatem asseruit. Peccata poenam commerebantur. Ex illis oritur obligatio ad poenam subeundam, quam reatum appellare placuit. Etenim *δικαίωμα τοῦ Θεοῦ εἰ ὅτι οἱ τοιαῦτα πράσσοιτες ἔστιν θανάτου ἰσχύ.* *Ius Dei est, eos, qui talia faciunt, dignos esse morte.* Ad Rom. I. v. 32. Paulus hoc effectus est, postquam de peccatis diuersi generis disseruerat



rat, atque eis satis declaravit: Deo subnasci ius puniendi ex peccatis, atque homines peccatores sub reatu mortis aeternae constrictos teneri. De morte aeterna cur verba interpretemur, ratio primum haec subest, quod naturalem si species:

*Omnia sub leges mors vocat atra suas,*  
etiam illos, qui vitae sanctimonia se ab impiorum turba sciungunt; deinde illa, quod Rom. VI. v. 23. *mors peccati stipendia, ἐπὶ ὅλως, fructus, poena* pronuntiatur, quae, propter oppositionem vitae aeternae, de morte aeterna exponenda est. Quum igitur Christus homines poena peccatis merita exsoluerit, consequens est, ut a morte aeterna eos liberauerit. Et qui potest aliter se res habere? cum Servator *mortem aboleuit* *ναρνεύσας τὸν θάνατον, vim morti ademit*, id quod morte sua effecit Hebr. II. v. 15. & *salutem interminatam*, sic supra (§. 5.), propter manifestam figuram *ἐν δὲ αἰῶνι* conuertimus, *in lucem produxit* 2 Tim. I. v. 10. Nam etsi Euangelio, hoc felicitis immortalitatis beneficium adfignetur propter notitiam; boni tamen illius acquisitio in opus redemptionis, quod publicauit istud, in solidum transcribenda venit. Argumentationem igitur sic concludamus: qui hominibus morte sua a peccatorum poena assertorem se praebuit & salutem interminatam restituit, is eosdem ab aeterna morte redemit. Idcirco Iesum redemptorem mortis aeternae certum dicere, & edicere, liceat.

## §. XI.

At nondum apparet, qua ratione Servator longe indulgentissimus a peccatis nos liberauerit. Sunt enim

E 2

adhuc

adhuc peccata, manent, manebuntque cum genere humano, in hac vita constituto atque cum imbecillitate & fragilitate, qua premimur, confligente &, si qua erit posteritas, praesenti similis, confligaturo. Non opus videtur testibus, cum rerum testimonia adsint. Huic dubitationi in hunc modum occurritur: in moralibus non imputari, idem est, atque non esse. Praestita expletione siue per se, siue per alium, aut, si malis, expiatione, reus, dummodo caetera sint paria, obnoxius amplius non habetur. Praestita vero est expiatio per Christum, quo de certo constat, illum esse *ἱλασμον* *περὶ τῶν ἀμαρτιῶν ἡμῶν* propitiationem pro peccatis nostris I Ioh. II. v. 2. Ducta est vox *ἱλασμός* a sacrificiis expiatoriis Leuit. V. 13. 16. 18. XXIII. 28. Num. V. 8. cui affinis est alia *ἱλαστήριον*, operculum arcae foederis, ubi expiationem fieri oportebat Exodi XXV. v. 17. (a) & *ἱλαστήρα*. Iesum designat. Quemadmodum per sacrificia piacularia peccata in V. T. expiabantur & Supremum Numen oblatoribus reconciliabatur: ita Christum a Patre *ἱλαστήριον nobis propositum in sanguine* Rom. III. v. 25. perfecit, tanquam *misericors & fidelis Pontifex, quae ad Deum pertinent, εἰς τὸ ἱλασθῆναι τὰς ἀμαρτίας τοῦ λαοῦ, ut expiaret peccata populi sui.* Hebr. II. v. 17. (b) Qua de causa hoc nomine est Redemptor hominum a peccatis, ne illa nobis amplius imputentur, atque adeo, ut pro non commissis habeantur.

§. XII.

(a) Confer. LXX. Intt. ad loca excitata.

MVS LANGIVS in Exegeti ad h. l. p. 125. seq.

(b) Conferatur B. 10 Δ CH I.

§. XII.

Sumimus hic, mortem, quam discriminis causa, Theologi naturalem nominant, inter poenas peccati referendam esse. Et non ab re sumimus, cum exploratae veritatis res sit; sanctionem poenalem hanc: *וּמֹת מוֹת מוֹת* morieris, adiectam fuisse legi isti, quam primi homines transgressi primum peccarunt, Gen. II. v. 17. quae tum propter famosorem significatum, cum ob istam poenae denunciationem Adamo a Deo factam: *in sudore vultus vesceris pane; donec reuertaris in terram; de qua sumtus es: quia pulvis es, & in puluerem reuertaris.* Gen. III. v. 19. de morte naturali intelligenda est. Accedit quod Diabolus dicitur: *ἀνθρωποκτόνος ἀπ' ἀρχῆς* Ioh. VIII. v. 44. *homicida, percussor ab initio*, quo seductio primorum hominum, sub initium omnium rerum, a Diabolo dolose instituta & perfecta atque per eam in mortem naturalem praecipitatio significatur, quae ad Adamum posteros propagata fuit Rom. V. v. 12. Liberati vero sunt homines per Christum a poena peccatorum (§. 10.) Ergo etiam a morte naturali. Hoc dictis & experientiae (§. eod.) repugnat; & sic aqua haerere videtur. Ad speciem pugnantia hac ratione in consensum vertimus. Sublatum est id in morte naturali, quod rationem poenae habet; relictum est malum. Omnis quidem poena malum est, sed non omne malum in poena ponendum. Eodem malo diuersis modis diuersi feriuntur homines. Hoc exemplo vt doceamus, maneamus in re praesenti. Est, qui naturae debitum soluat; alius vitam cum morte commutat, cui dulce est pro patria mori; neci datur homo maleficus atque poena

scelerato ex sanguine sumitur. Vndecunque mors dominatur; huic est poena ignominiosa; illi summae laudi ducitur, isti non poena inter homines reputatur. Aut totus fallor; aut scitum nostrum egregie confirmatur Pauli testimonio, semel atque iterum excitato, II. Tim. I. v. 18. quo perspicuum redditur, Christum *vim suam morti ademisse*. Verbum *καταργέω*, a quo vox Graeca, quae ibidem extat, descendit, ex *κατά* & *ἀργος*, vel *ἀεργος*, proprie est *inefficax reddo*. Vim igitur nocendi Redemptor Christus morti subtraxit atque, quod artis summae documentum est, istud malum in boni naturam demutavit. Eadem de causa *mors*, quae omnes homines *absorbet*, *absorpta in victoria*, *eis vivos, καὶ ἰδ' ἐστ' in perpetuum* Esa. XXXIV. v. 10. perhibetur I Cor. XV. v. 54. coll. Esa XXV. v. 8. & Paulus *de morte & inferno*, vel statu mortuorum, Esa. XXVIII. v. 15. triumphum canens; *ubi est*, inquit, *mors victoria tua? ubi est mors stimulus tuus?* v. 55. coll. Hof. XIII. v. 14. De morte naturali verba priora accipienda esse contextus sermonis docet & CAMPEGIVS VITRINGA (a) comprobat. Absorpta illa iam est per mortem Christi Hebr. II. v. 15. & in resurrectione mortuorum, qua de Apostolus egerat, plene absorbebitur. Sublatus est mortis *aculeus*, vis nocendi, quae a peccato proficiscitur, v. 56. & in eo potissimum sita, ut mortuos sub sua potestate constringat, quo minus ad vitam redeant. Datur igitur liberatio etiam a morte prima, quae Redemptori Christo accepta referenda est.

§. XIII.

(a) Ad Esa. XXV. v. 8. p. 146.

§. XIII.

Idem etiam nos a Diaboli potestate liberauit. *Qui facit peccatum ex Diabolo est: quoniam ab initio Diabolus peccat.* 1 Joh. III. v. 8. In societatem Diaboli veniunt homines, auctore Joanne, imo Christo Joh. VIII. v. 44. qui peccant, ipsique, qui primus peccauit, nequitia gemini fiunt. Peccarunt primi homines, seductore Diabolo; atque eo ipso cum malis Spiritibus & eorum Principe in societatem quandam coaluerunt. Inde illud malum extitit, quod ad omnes eorum posteros dimanauit, quippe qui peccato facti sunt obnoxii Rom. V. v. 12. 18. Ex ista ad peccandum procliuitate, tanquam ex fonte perenni, peccata innumera profluunt, quae ad quoddam tenebrarum regnum spectant, in quo Diabolus principatum fert. Antea Angelos peccati socios modo imperio regebat, nunc, tanquam ciues ipsi subiiciuntur, homines seducti a se & in peccata prolapsi. Quemadmodum ciuis obligatur, actiones suas ad voluntatem imperantis componere: ita in hoc quasi regno infelicitate parentes omnia perficiunt, vti animus Principis gessit. Etenim illi eius desideria, mala cupita, *facere volunt.* Joh. I. c. Qua de causa Diabolus *Princeps huius seculi* nominatur Joh. XII. v. 31. *in tenebris* Col. I. v. 13. gaudet *ἐξουσία*, potestate affini ei, quae magistratum conuenit Rom. XIII. v. 1. 2. &, quod consentaneum est, *mortis quoque potestatem tenet*; quale quid, disertis verbis, eidem tributum legimus. Hebr. II. v. 15. Modus acquirendi originarius, cacodaemoni congruus, quo sibi nouos ciues adiunxit, est peccati primi inter homines introductio. Titulus vel quasi pote-

potestatis nimitur originali & actualibus hominum peccatis. *In hoc apparuit Filius Dei, ut dissoluat opera Diaboli.* 1 Joh. III. v. 8. Haec sunt peccata, uti ex ipso Joannis loco apparet, & quae ab eis fluxit, mors tam naturalis, quam aeterna. Seruator expiauit peccatum (§. 6.) sustulit illud, (§. 11.) pariter atque ipseus reatum (§. 10.) & vim nocendi morti detraxit (§. antec.) Abrogatum igitur est Diabolo imperium & Redemptor Jesus homines ab eius potestate in libertatem vindicauit. Hisce congruentia sunt ea, Hebr. II. v. 14. *ut per mortem destrueret, καταργήσῃ, inefficacem redderet, eum, qui habebat mortis imperium, id est Diabolum.* Hebraeis ista scripta sunt, accommodata scitis eorum, qui *Angelo mortis*, sic Diabolum cognominant, potestatem mortis adiudicant. (a)

## §. XIV.

Quum morti vis nocendi & Satanae potestas mortis adempta sit, cessat ratio cur mortem tantopere reformidemus. Morte igitur sua effecit Christus, ut nos metu mortis seruii leuaret. Asseueratur idem Hebr. II. v. 15. ubi haec subiiciuntur; *Et liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant seruituti.* (b) Hoc in parte felicitatis ponendum esse nemo non videt. Deo reconciliati cum simus, per Seruatoris mortem, non est cur ab ipso, multo minus, cur  
ab

(a) In programm. in Nativ. *superabili* p. 5.  
Christi 1751. hic edito de me. (b) Vide, quae copiosius dictu mortis per Christum natum sputata sunt l. c. p. 13.

ab hominibus, vel rebus creatis, aliquid mali metuumus Rom. VIII. v. 31. seqq. Atque ita firmissima vitae sine metu degendae, & felicitatis praesidia nobis parauit. Diximus de malis, a quibus assertor nobis Christus extitit.

§. XV.

Progredi nobis iam liceat ad eos omnes, quos Christus redemit. Idcirco contendimus, omnes & singulos homines ab eo esse redemptos. Homines redemptos esse, si quid sentio, euicimus. Subiecti erant omnes pari reatui, eidemque miseriae. Aut igitur omnibus datus est Redemptor, aut nullis. Vti hoc dici non potest: ita illud pro certo affirmandum. Connexi ratio est, quia inter pares, cur vnus alteri praeferatur, causa nulla suppetit. Si haec debiliora videantur, attendamus ad clara & perspicua sacrarum litterarum testimonia. Produximus iam istiusmodi, quibus redemptionem totius generis humani in aedificare nobis integrum erit. Annotauimus supra (§. 5.) apud Ioannem bis Iesum σωτήρη τοῦ κόσμου, *Seruatorem mundi* Joh. IV. v. 42. 1 Epist. IV. v. 14. nominatim dici. Anquiramus iam, quonam potissimum sensu? Per mundum homines intelligi luce clarius est. Hi sunt vero; aut illi, qui vitam aeternam per fidem consequuntur; aut isti, qui fide destituti excidunt ea; aut vtrique. Si postremum adfirmes, causam tenemus. De hominibus fide haud fucata praeditis, qui ad interminatam salutem perueniunt, num eo nomine comprehendantur, nec ne? inter eos, qui de redemptione Christi consentiunt, addubitatum non est. De impiis atque eis, qui Christo fidem ad-

F

strin-

stringere detrectant, hoc, quicquid est, vocabuli sacris in litteris usurpari, si aliunde non constaret, vel ex solo Ioanne satis, superque demonstrari posset. Ex pluribus exemplis, quae obuiam sunt, pauca scilicet. Accensentur *mundo*, qui spiritum veritatis accipere nequeunt, Ioh. XIV. v. 17. quem accepturi essent credentes in Iesum Ioh. VII. v. 39. Atque ita credentes obiciuntur mundo, hoc est, fide destitutis, & quod consequens est, hi mundum conficiunt. De odio mundi Iesus cum discipulis suis differens Ioh. XV. v. 18. hanc illius rationem reddit: *Si de mundo fuissetis, mundus, quod suum erat, diligeret* n. r. l. v. 29. Idcirco *mundi* nomine insigniuntur non credentes in Iesum, homines impii, Seruatori aduersantes. *Mundus totus in maligno positus* I Ioh. V. v. 19. quid est, nisi omnes improbi? quorum summum bonum est *in concupiscentia carnis, & concupiscentia oculorum & superbia vitae, quae non est ex Patre, sed ex mundo est* I Ioh. II. v. 16. Quibus de causis nil vetat *mundum*, cuius Seruator *Christus est*, de omnibus & singulis hominibus exponi. Interpretationem confirmant verba Christi praedicantia incredibilem & admirabilem Dei Patris erga *mundum*, vel homines, amorem Ioh. III. v. 16. Homines per *mundum* designari largiuntur omnes, etiam hi, qui in hac sententia nobis aduersantur: & merito sic sentiunt, cum Christus hominem induerit atque hominibus *non angelis*, Hebr. II. v. 16. non aliis rebus creatis, redemptor datus donatusque sit Rom. VIII. v. 32. Ad vnum vero omnes designari, inde cogitur atque efficitur, quod Seruator homines, qui *mundum* istum constituunt, dispertiuit in eos, qui *credunt* &



Et non credunt, qui pereunt & qui vitam aeternam consequuntur, qui damnantur & qui saluantur v. 16. 17. 18. Hac enim ratione omnes & singuli homines describuntur. Huc accedat aliud Ioannis testimonium, in quo Iesus Christus appellatur *propitiatio*, ἰλασμός, pro peccatis nostris; non pro nostris autem tantum; sed etiam pro totius mundi. Ex illo perspicuum nobis est, primum ipsum esse sacrificium piaculare pro hominibus (§. 7.); deinde, cum indiscriminatim de peccatis Apostolus verba faciat, πᾶσι τῶν ἀμαρτηρῶν, pro peccatis nostris, cum hoc esse pro omnibus & singulis, grauioribus & leuibus; denique pro omnium & singulorum hominum peccatis. *Mundi* vocabulum generale est, & vel sic ad totum genus humanum spectat; multo vero magis eo referendum est, cum vniuersalitatis signum εἶδος adiunctum habeat. Restrictionem sensus non admittit, quoniam diuinus Scriptor, postquam de peccatis fidelium Joh. I. v. 8. seqq. II. v. 1. egerat & spem veniae iniecerat, sermocinatus est nomine omnium fidelium, dum ista verba profert. Fac, per *mundum* significari, *mundum electorum*, quod volunt illi, qui redemptionem vniuersalem infringunt; etsi frustra sacris in litteris quaesueris exempla, quibus istiusmodi significatio firmari queat; fac, fideles, propter illud perfeuerantiae dogma, quod iubent, qui nobis contradicunt, atque electos homines pares, eosdemque esse; id quod tamen pro vero non habemus: consequens est, vt Ioannis dictum hac periphrasi circumscribendam sit: Iesus Christus est propitiatio pro peccatis omnium electorum, non autem pro peccatis omnium electorum tantum, sed etiam pro peccatis mundi electorum, hoc est, omnium electorum.

Qualis haec batrologia foret indigna sapiente Scriptore! Hanc vt de medio remoueamus, decernendum est, Seruatorem esse, vi huius testimonii, Redemptorem non electorum modo, sed etiam reliquorum hominum. Et enim, quos Christus expiauit, eos quoque omnes redemit. (§. 6.)

## §. XVI.

Christum vniuersi generis humani Redemptorem ob oculos posuimus. Hoc probato, consequens est, vt sit Redemptor etiam Israëlitarum. Nuncupatur ipse nomine *Saluatoris Israëliti* Act. XIII. (§. 5.) Jam vero Saluator hominum extitit per redemptionem. Idcirco Redemptor Israëlitis datus dicendus est. Sed est gentilium quoque Redemptor. Quae cum ita sint, nihil est reliquum, nisi vt Israëlitarum Redemptor peculiari ratione habeatur. Plura suppetunt, quibus, quod asseruimus, planum fieri potest. Christus rogatus, vt intuitu foeminae paganae miraculum ederet, professus est, *se non esse missum, nisi ad oves perditas domus Israël* Matth. XV. v. 24. & in prima Apostolorum legatione prohibuit; ne illi in *viam gentium abirent* & voluit, vt *potius irent ad oves, quae perierunt, domus Israël* Matth. X. v. 5. 6. Paulus & Barnabas dixerunt: *vobis oportebat primum loqui verba Dei; sed quoniam repellitis illud & vos indignos iudicatis vita aeterna, ecce conuertimur ad gentes.* Act. XIII. v. 46. Quibus ex verbis obscurum non est, Iudaeis primum Euangelium annunciari debuisse, illisque conuersis demum ad gentes sermonem salutis propagandum & ipsos, huius contemtionem, in causa fuisse, cur citius ad

ad istas delatus sit. Ad quos potiori quodam iure notitia Redemptoris pertinet, ad illos maxime Redemptorem spectare, quis dubitet? Ergo Christus Israëlitarum maxime Redemptor cognominandus est. Huc facit quoque appellatio *filiorum regni*, qua Iudaei a gentilibus discriminantur. Matth. VIII. v. 12. *Regnum*, βασιλεία, κατ' ἐξουχίαν est *regnum coelorum*, quod per redemptionem Christi constitutum est. Quamobrem filii regni sunt illi, quorum potissimum est regnum coelorum & ad quos redemptio per Christum facta maxime spectat. Iudaeorum igitur Redemptor Christus peculiari ex ratione merito statuitur.

## §. XVII


Est hoc consentaneum praerogatiuis, quibus gens Israëlitarum eminebat, Rom. IX. v. 4. ad quas *ὁδοῦς καὶ αἱ ἐπαγγελίαι*, *adoptio filiorum & promissa*, ibidem referuntur. Quibus potius, quam filiis Pater coelestis tribueret Redemptorem filium? quem nobis dedit Rom. VIII. v. 32. In promissis, soli genti Israëlitarum debitis, annumerandum erat, quod ex ipsa Messias proditurus esset. Gen. XLIX. v. 10. Mich. V. v. 1. Promissio respondit euentus. Venit Christus Redemptor in mundum, qui est *ex Iudaeis secundum carnem*, & simul *super omnia benedictus in secula. Amen.* Rom. IX. v. 5. Hic erat summa Israëlitis gloria, eiusque causa templum secundum, ad quod venturus erat Christus, Maleach. III. v. 1. ceteroquin ignobilis, gloria praestantius censebatur priori Hagg. II. v. 10. atque ipsius secundum carnem ex ea generatio omnes praeter reliquos

gentibus praerogatiuas vincebat facile. Quid conuenientius, quid congruentius, quam ut Messias, ex Iudaeis oriundus, peculiari ratione Iudaeis Redemptor a Deo destinaretur?

§. XVIII.

Ex Iudaeorum conditione singularis ratio dilucet, cur Christus pro Israëliitarum inprimis Redemptore habendus sit. Sub lege ceremoniali, tanquam iugo intolerabili, constricti erant. Missus est *filius Dei*, factus sub lege, ut eos, qui sub lege erant, ἐξαγοράσῃ, redimeret Gal. IV. v. 4. 5. Christus Iudaeos, ἐξαιγοράσας, redemit de maledicto legis, factus pro eis maledictum, quia scriptum est: *Maledictus omnis, qui pendet in ligno* Gal. III. v. 13. Per mortem igitur suam Israëlitas a lege ceremoniali atque maledictione ipsi adiecta liberavit. *Munera & victimae, quae offerebantur non poterant iuxta conscientiam perficere seruientem* h. e. offerentem Hebr. IX. v. 9. *nec victimae unquam poterant auferre peccata* Hebr. X. v. 11. Sacrificia piacularia ipsorum non grauiora peccata, sed modo ex culpa commissa expiabant. Act. XIII. v. 38. 39. Numer. XV. 22. 30. Praestabiliori sacrificio opus illis erat, quod semel obtulit Christus Hebr. VII. v. 27. Quibus ex omnibus, spero, liquebit, Christum esse Redemptorem, maxime Israëliitarum.





VIRO PRAENOBILISSIMO,  
DOCTISSIMO  
GEORGIO POORTEN


S. S. TH. CANDIDATO  
AMICO SVO AESTVMATISSIMO  
S. P. D.

DIETERICVS IOANNES INSELMANN  
STADENSIS  
OPPONENS.

Saepe numero a nimaduertere solemus mentem & cogitationem ad  
intimum animi sensum adhibentes, duci nos, ac necessitate qua-  
dam ferri, vel nullis nostris commodis, atque illius, quod ad nos res-  
que nostras pertinet, habita nulla ratione. Vnde quaeso est illud,  
quod miram nobis delectationem offert animus aliorum amans vir-  
tutis, quae perpetua ipsi vtuntur, commoditas prosperitasque vi-  
tae? Vnde eam videmus omnis acui consensionem, et abiectos sem-  
per omnes boni & improbi existimarent, qui ad inboneste flagitio-  
seque faciendum se impelli paterentur; at vero, qui vitam officio  
coniunctam & hominum generi fructuosam praerferrent, ii praestan-  
tes, ii fortes atque solida laude digni putarentur? Facile hinc vi-  
deas, quod totum in nobis ipsis ornandis collocetur, studium atque  
operam ita sentiendi rationem nihil suadere. Recte igitur, esse a-  
liud, planeque ab hoc, quod dixi, diuersum genus officiorum, colligi-  
tur. Hoc quicquid est officii, cum non sit in opinione positum, aut  
cum sit maxime, haec non fuerit optio & potestas nostra, atque  
ipsa adeo animi indole contineatur; necesse est, ut quod ipsa etiam  
natura docet, faciamus, Discamus oportet, quae praeclare videmus  
feri

feri in rebus humanis, quae prospere, quae pulcre, quae ordinate, ubique demum fiant, cum maxima nostra voluptate videre. Atque id quidem proprium colendae amicitiae videtur, eique imprimis deberi. Coniunctio illa animorum & propensionum mutuos nos amare iubet: hicque ipse amor facit, ut mirifice gaudeamus, quod praecclare cum amicis agitur, quorum causa cupimus, quae ad bene beateque vivendum valent, omnia. Sed quorsum tandem haec ego? Subiit vero, amice aestimatissime, animum cogitatio ad TE scribentis TIBIQVE de scripto, quod egregium disputandum proponis, ex animo gratulantis. Impendisti, dum in alma hac musarum sede ad litteras & scientias inebuisti, nonnihil temporis amicitiae quae usu nos ac consuetudine habuit coniunctissimor. Iamque id agis, nisi dato aliquo documento, quam fueris doctrinarum studiosus, ne abear, utque publice demonstras, quos feceris in litterarum studiis progressus. Itaque officii ratio postulat, ut quae inde Tibi existant laudes, gratuler. Gaudio certe persundor suavissimo, quo afficiantur oportet, quos ortus TIBI iungit, aut quae naturam imitatur, amicitia. De hac mea in TE voluntate ut TIBI sit persuasus, percipio. Quampropter sic habeto, in his me non ultimum esse, quos tenet TIBI plaudendi studium. Quod reliquum est, benevolam velim consuetudinis & familiaritatis nostrae memoriam recolas, si quando, quae TE florentissima manet in patria vteris fortuna, quam via cum omnibus reliquis facultatibus Deum TIBI augere volo. De me certum habear ac persuasum, nunquam me non esse humanitatem TVAM & benevolentiam complexurum. Vnum illud opto, ut auspicato proficiscaris meque amer. Vale. Dabam in Georgia Augusta VIII. Id. Octobr. clo lo ce LIII.





VIRO PRAENOBILISSIMO  
ATQVE DOCTISSIMO  
**GEORGIO POORTEN**

THEOLOGIAE CANDIDATO  
DIGNISSIMO,

AMICO SVO CHARISSIMO

S. P. D.

OPPONENS


**CHRISTIANVS LVDOVICVS PLATE**

STADENSIS S. TH. C.

*Nec morum vetustas, nec, quae TVVM, Amice omnium charissime, aliorumque applausum laudemque amicitiae extorquere eliceretue, contentio me iuduxit, ut TIBI de optime confecta dissertatione gratularer. Vt enim ad amicitiam nostram accessio fieri plane nulla potest, sic illi hoc studio, cui abiecta proposita sunt, consulere nullo modo possim. Hoc unum potuis sequor, ut TE laetitiam meam, qua singulari de honore, qui hoc scriptum actumque disputatorium necessario est excepturus, affectus sim, doceam. Quid enim nobilius, quid cum omnium cognitione, tum vel maxime nostra familiaritate dignius, quid dulcius denique est, quam mutuum significare de commodo & salute amici voluptatem? Modestia Tua, Amice, me impedit, quo minus animum TVVM amicis benevolentia semper, charitate & amore praesentem, quasi in medium proferam. Satis praeterea vinculum animorum nostrorum & consensio claret, quae res est una solaque amicitiam comparans, conseruans. Quonobrem omni admirationis TVI atque amoris significatione supersedeo, cum praesertim familiaritas spatio temporis minus exiguo TE de sinceritate*

G

ecritate




eritate mea bene existimare docuit. Verum quo me hoc in genere feliciter existimo, eo maior cura est, qua imminens tempus praevidet: tempus amicis mihi, faciliem suavem atque aequalitate mihi coniunctissimum amicam subducens. At Catones si esse non fas sit, liceat tamen nobis esse Christianis. Placida & serena fronte providentiae summi numinis confidamus, quae vel ex hac, quae nobis videtur, mala conditione fata candida nobis suavissimasque voluptates derivare consuevit. Manebit semper, licet ultimum forsane Vale TIBI dicam, recordatio praeteritorum accepta, & quid egregius tristissimos animi motus sedere poterit, quam quod multo adhuc amore acquiescimus, remunerationem benevolentiae & vicissitudinem studiorum officiorumque cogitantes. Vale igitur, Amice, quem optimum diligo, ac sis vel absens praesens. Deus ter optimus maximus fortunet fundamentum, cui imposuisti musas ad maiorem intelligentiae incrementum, adque gloriam suam. Circumsuere TE stinat omnibus animi fortunaeque bonis. Comes TIBI eat in itinere, & voluptates illa facienti comparet, & patronos amicorumque benevolentia ac sinceritate TVA dignos. TVI, vero, in primis quem parens, quem optimum, licet ignotum, nescio, quibus auspiciis, pietate quadam suspicio, iure quam maximo TE, quaeque sunt TVA, postulant. Sic illis TE Deus restituat, ut non solum ament reditum, sed hoc quoque gaudium spe appetentis, quam optime meritis sis, provinciae conferretur, dignissimisque studiorum TVORVM fructibus consummetur. Atque denique vale! Sis memor Augustae, sis memor tristissimi sed eiusdem sincerissimi amici, qui cedere nemini amore officium amicitiae putat sanctissimum. Datum in Georgia Augusta ipse Idibus Octobris. M. D. C. LIII.



VIRO





VIRO PRAENOBILISSIMO DOCTISSIMOQUE  
TH. CANDIDATO

GEORGIO POORTEN

AMICO DILECTISSIMO

S. P. D.

HARTWIG CAROLVS WILHELMVS  
WESTPHAL

S. S. TH. CVLTOR. STADENSIS.

Officium amicitiae est, ex perfectionibus & salute amici voluptatem percipere sinceram, & quaeque illi contingunt, prospereque eueniunt, communia existimare. Hoc tanquam firmissimo fundamento nititur amicitia. Quid enim dulcius, quam habere, quocum omnia nostra communicemus. Sane sine amicis vita nulla est. Licuit mihi Amice vel ex TVA familiaritate occasionem arripere, has cogitationes, quibus semper indulsi, confirmare. Quid mirum igitur, si de indefesso studio, cuius nunc omnibus fructus ostendis oberrimos, quam maxime laeter? Gratulor igitur TIBI, vereque gratulor, & confido, TE usura falsi gaudii non esse fructurum. Dissertatio enim TVA optima praedicti laudis honorisque futurae omnia. Idem hoc & curam & sollicitudinem, qua appropinquantem TVVM discessum cogito, leuat diminuitque. TE quidem inuitissimus a me dimitto, qui coepi suauitate amicitiae TVAE vi; persuasum vero mihi est, TE, etiamsi longius a nobis abis, & in patria fauore, benevolentia & caritateque TVA ut vacem, a TE non esse impetraturum. Sanctissime TIBI polliceor, nihil mihi prius nihil antiquius futurum, quam ut benevolentiae huic tuae mutuo amore, amicitia studioque respondeam. Abi igitur, optime AMICE, percipe commoda ex Diligentia TVA promanantia. Excelsae scientiae magis magisque, ut patria fructus percipiat ex laboribus TVIS doctissimis. Summum nimen conseruet TE saluum rectumque, augeatque vires animi ad incolumitatem ecclesiae. Et ne longius abeam, sis contentus! sis felix, utque quaque omni memoria! Vale carissime AMICE, mihi que faue. Dabam Goettingae d. 6. Octobris MDCCLIV.

Günne der eifrigen Freundschaft, die meine Triebe beseelet,  
 Und sich mit holdem Zwange ergeußt, ein kennbares Denckmal  
 Unserer Liebe und Deiner Gerechtigkeit erkenntlich zu zollen.  
 Sei mir gegrüßt, du väterlich Land, wo Segen und Fülle,  
 Unter des Nordwinds heißenden Flügeln sich rauend herab läßt,  
 Und die rauschende Dwina der Länder Vorrat heraufschwemmt.  
 In deinem frohigen Schooße trägst du Vergnügen und Freude  
 Und die reizende Freundschaft mir zu; die reizende Freundschaft,  
 Wie sie die Alten gekant, als man noch die hölzernen Becher  
 Fröhlich umblünte, und festlich besang, und feierlich leerte;  
 FREUND, da erkannt ich Dich, und in den Tagen der Unschuld  
 Wallten sich schon die Herzen mit reinen Zügen entgegen.  
 Jetzt, da die heitere Stirn aufblühende Rosen umfinglen  
 Und die Freude des Lenzen zum klopfenden Busen herabsteuft,  
 Jetzt, da Dich Wissen und Fleiß zur Flur sanftstießender Leine  
 Und zu Lerlingen ewiger Weisheit vertraulich herauswinkt,  
 Komt im munteren Ernste der Jugend die heilige Freundschaft  
 Wieder hervor, so wie den lange bewölkten Dunstkreis  
 Fröhliche Stralen des Lichts mit funkelnder Schöne durchbrechen.  
 O! könt ich mit belebendem Pinsel und redenden Zügen  
 Nun, da Dein rümlicher Fleiß erwucherte Schätze verspreitet,  
 Deine geweihte Liebe mit edeler Dankbarkeit schildern!  
 Doch den Trieben ungleich, verweigern die schwächeren Kräfte  
 Pflichten der reizenden Treue. Nur noch ein jauchzender Glückwunsch,  
 Und ein Erleben der lächelnden Wobls der künftigen Stunden  
 Wallen im treuem Gemüte des ewig geweihten Freundes.

Seiner Hoch-Edelgebohrnen dem Herrn  
 Verfasser dieser Abhandlung emphielet  
 sich hiedurch

den 15. September  
 1754.

Deffen  
 ergebenster Freund und Diener  
**IOHANN PRECHT**  
 aus Riga, Opp.



01 A 65 38

ULB Halle  
002 933 470

3



Sb.







43

DISPUTATIO THEOLOGICA  
DE  
CHRISTO REDEMTORE  
MAXIME ISRAËLITARVM

QVAM  
PRAESIDE  
GEORGIO HENRICO  
RIBOVIO

SS. THEOLOGIAE DOCTORE EIVSDEM ET PHILO-  
SOPHIAE MORALIS ATQVE CIVILIS P. P. O. SERE-  
NISSIMAE ET REVERENDISSIMAE ANTISTITAE  
QVEDLINBURGENSIS A CONSILIIS ECCLESIASTICIS  
ET ECCLESIA RV M IN CIVITATE ET DIOECESI  
GOTTINGENSI SVPERINTENDENTE  
PVBLICAE DISQVISITIONI SVBIICIET  
AVCTOR RESPONDENS

GEORGIVS POORTEN

RIGA-LIVONVS, SS. THEOLOG. CVLTOR  
REGIAE SOCIET. TEVTON. GOTTING. SODALIS  
AD D. XIX. OCTOBR. cl3 l3 ccliv.

---

GOTTINGAE  
TYPIS PAVL. CHRISTOPH. HAGER. ACAD. TYPOGR.